


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



DE
1588

26-6-N-N.4

340.6

IACOBI PVDERICI

MED. ET PHILOSOPHI CONSENTINI


Opus necessarium

AN VENENATVM CORPVS in vita & post mortem dignoscatur.

de la libreria del Collegio de la comp. de Jesus de madrid



E---4
C---3
N---2



NEAPOLI, Apud Iosephum Cacchium.
Superioru permissu. MDLXXXVIII.

AD LECTOREM.

funus

QVA ratione queas certis dignoſcere ſignis,
Cui malè cauto fraus ꝓperauit acerbũ:
Crudelìsq; dolus labefecit ſtamina vitæ;
Atra Aconita bibit, quoniam, Circũ lita melle;
Seu potius nullo pugnat cum felle veneni;
Sed totos febris κακοήθης paſcitur artus;
Hic liber oſtendit. vis, Lector diſcere multa
Nec venæ cõmunis, nec triuialia certè? (ſtrat
Hæc tibi quæ Docti PVDERICI pagina mõ-
Perlege: et authori det multos Iuppiter annos
Dic, et Hamadryadũ concedat vincere ſæcla.

Fabij Sergij Conſentini.

ILLVSTRI DOMINO VINCENTIO MASTRILLO REGIO CONSILIARIO MERITISSIMO.

Iacobus Pudericus physicus Cosentinus salutem.



T*ANTVS est apud omnes, nominis tui ſplendor atq; magnitudo, MASTRILLE vir illuſtris, & nunquam ſatis pro dignitate laudate, tantaq; authoritas, vt neminem non alliceat, impellat, ac deniq; cogat ad te, et amandum et obſeruandum, adq; ſe tibi deuouendum. præclara nanq; animi tui uirtus, morumque probitas, adeò cunctis effulſit, vt*

omnes vno Concordiq; ore fateantur, nihil te iustius, nihil te sanctius. Atq; isthæc publica vox, quàm verissima est, vt pote orta à crebris, atque laudabilibus tuis egregijsq; facinoribus. Es enim in iudicando, frendisque sententijs, quàm iustissimus: Audiendis autem populi querelis, & cæteris id genus quàm benignissimus: in consulendo uerò alijs et doctus, & oculatior Argo: fiscalis, integerrimus, & equa (vt dicitur) lance, quod cuique competit, tribuens. hinc fit, vt omnes vitæ te inculpatissimæ prædicent: tèq; tam victi, quam victores, et laudent, et ament. Quæ enim ex merito, pœna venit, minùs (vt inquit ille) dolenda venit. Qua propter etiam his, quos tu poena afficis, nullus est relictus quæ rimoniæ

locus

locus, ſed et ipſi te reuereantur, et illa tam in ſe, à te mulctam patienter ferant. Atque hæc fuere in cauſſa, ut ad magnos honores et tu, et uniuerſa Maſtrillorum familia euecta ſit, et poſthac in maiores et feliciores, uos omnes aſcẽſum ire vaticinor. Cum enim non deſinitis in dies præclara et heroica facinora facere, in maximum illa omnium veſtrum honorem ceſſura ſunt. Pars enim ueſtrum eſtis armis Decoratiſſimi, Pars iuris vtriuſque Peritiſſimi, pars uerò ſacrarum ſcripturarum cõſultiſſimi, Atque iccirco, omnes & Deo chari, & Rei publicæ vtiliſſimi viuitis. iure igitur omnes Maſtrillorum familiæ multos annos optat: quos inter et ipſe ſum, qui vt omnem erga te meam obſeruantiam, & animum

addictissimū tibi detegā, hoc tibi inpræsētia opus offero, Cui titulus est de venenati humani corporis dignotione: tractatus sanè nedū medicis et philosophis vtilis et per necessarius, sed et uobis iuris prudētibus: obtigit ænim sæpius, vt uiri īpij et inqui quos oderūt fraude et veneno necēt, quos īternoscere, uenenò ne ā morbo perierāt, etiā magistratus īterest. Ne uenefici illi, veneno aliquos extīsisse inpunè ferāt. Adiunxi uerò tecū, et illustrē Dominū Cæsarem Scanapecū præceptorē meū maximè mihi suscipiendū, tuique obseruātissimū. Vt si quæ hic offēderis obscuriora (sūt enim hæc tibi alieni fori) hæc ille aperta reddat, et ut vterque vestrū, à non nullis qui forte me caluniatū iri suspicor, tuetur, & protegat. VALE.

ILLV

ILLVST. D. CAESARI SCANNAPECO ART. ET M. D. PRAECLARISS. AC PRAECEPTORI SVO COLENDISSIMO.

Iacobus Pudericus Medicus Cōſentinus Salutem.

QVOTIES, Illuſtris Domine Cæſar, mihi in mẽtem venit inſignis iſtius vulgi impudentiæ atq; temeritatis, exiſtimantis artem medicam, ceu omnium viliſſimã, cùm tamen ſit omnium nobiliſſima; tum vt non mihi bile ferueat iecur vt Poëta ait; ac vehemẽtiùs vulgi procacitati non iraſcar, me continere non poſſum. Nam, cùm huius artis perdiſcẽde gratia, à teneris vnguiculis libris & præceptoribus operam nauarim: & vitam, tempùsq; contriuerim: relictisq; domeſticis laxibus, peregrinus, medicinam profitentes multos annos audierim:

Græcorum, Latinorum, Arabùmq; codices iugiter legerim, adeò vt fortasse non nihil profecerim. Dùmq; eam artem velut præcellentem et omnium præclarissimam elegerim, sperans non spretum, sed laudatum iri: Nunc è diuerso, videns eam flocci æstimari, & nihil pendi, ingenti animi mœstitia perturbor. Quid autem in causa sit, vt vulgo àrs medica spernatur, retulit Hippocrates libro cui titulus, LEX est, Medicina (inquit) omniũ artium præclarissima est, verum, propter ignorãtiam eorum qui eam exercent, & ob vulgi ruditatẽ, quòd tales pro medicis iudicat, & habet: iam eò res deuenit, vt omnium artium vilissima censeatur. Huc ego addo, id euenire, quia nulla Res Publica medicis ignaris pœnam, mulctamq; statuit, nisi tantum vnam ignominiam. At hæc nec semper afficit, vtinam afficeret, & insignem notam inureret. Etenim sic, medicina vbiq; locorum vigeret et effloresceret. Nunc verò tãta est medicorum imperitia, vt proprè indicibilis sit: nec


de

de veneno potionatis hominibus, vel aliter veneno mortuis corporibus, seu ad huc cum veneno pugnantibus, signa afferre nouerunt. Sunt enim medici æquiuoci, non re vera. Hæc ego expertus dico. Nam mensis nunc agitur tertius ex quo Persius Aurifex Cosentiæ obijt, quem veneno extictum maior vulgi pars opinabatur. Ad huius igitur cadauer explorandũ, cùm essent accersiti medici, veritas elici non potuit, quia medici illi dispares in voto fuerunt, quare rem confusiorem & indecisam reliquerunt. Ego igitur amicorum præcibus superatus, qui me sæpius quid ipse in tali proposito negotio sentirem, vt in medium afferrem, rogarunt (si tamen ars ipsa medica circa veneni signa non defecerit, nec manca sit) tam vt amicorum votis satis à me fieret, quam vt Galenum veneni dignotionẽ, exactè tractasse demmostrarẽ, quomodo in vita & post mortem venenatum corpus noscatur, hæc pauca literarum monumentis mandasse volui: Quæ ego & longa experiẽ-

tia

tia exploraui, & iugi anosòq; studio ex Hippocratis & Galeni doctrina collegi. Tibi verò, tamquã de me optimè merito, vir summa veneratione dignissime, qui in re medica es ipsius veritatis os, labores hosce meos dirigere, & dedicare volui. Accipe igitur hÿlari fronte, & qualecumq; hoc munus sit, boni consulas quæso; : Sic enim me ad maiora & meliora edenda excitabis. Benè valeto. Cosentiæ. Die XV. Settembris. M.D.LXXXVII.

EXIMIO VIRO
IACOBO PVDERICO
ARTIVM ET MEDICINÆ
DOCT. CONSENTINO,
POMPEIVS SERGIVS
Neapolitanus, Iuris Vtriusq; professor,
Salutẽ, summãq; ex optat felicitatem.



EOS mirùm semper inmodum extollendos, paritèrque omni laude efferẽdos esse existimaui, qui aut memorabilibus exemplaribũsq; factis, vel egregijs litterarum monumentis gloriosum, immortalèq; nomen sibi compararunt: exemplo tui Puderice mi, in omni ferè scientiarũ genere præstãtissime; àc præcipuè in medẽdi facultate exper-

tiss-

tißime: qui (vt proximis decursis diebus accepi) opusculũ satis dignum, àc perdoctum: tui, nec non ingenij testimonium. quod de venenati humani corporis dignotione baptizasti: verè quidem tractatum omni humano generi perutilem, ac necessarium exponere, seu edere proposuisti. propositum profectò tui, tuorumq́; laborùm benè meritũ: quod vt exequaris in effabiliter rogo hoc .n. institutum si adimpleueris, certũ habe maximũ te apud gentes honorem adepturum: quin etiã, & quod maius erit, quicquid à deo cũctorum bonorum caussa, atque opifice, iustè expoposceris, assequeris: eia igitur, illũd quàm primũ expone, vt posteritati, nobisq́; omnibus iuuas. Memento quęso eius adagij, homo homini Deus: & euangelij, dilige

pro-

proximum tuum, cui porrò te continuo studuisse ac studere puto: fac àmabo quàm citius, itaquè exploratum habeas, hunc tuum libellũ ita forè gratum, atque carißimum, vt non modo Medice Artis professoribus acceptisſimus, verũ quoque cæterarum scientiarũ bonarumque artiũ amatoribus periocundus erit: quilibet enim pròcul dubio illũ habere tentabit. & non immeritò? Nouum siquidẽ opus est: nouumq́; ꝓpositum quod nemo ad hanc vsq. diem excogitauit. Tu verò tam doctè, ac accuratè tua diligentia, tuisque vigilijs attigisti: & quod Galenus, cœterique eiusdem cõsortij cohortes, varijs, dispersisq́; in locis, de venenato corpore scriptum reliquere, vno tu alueo congessisti. quarè igitur gratus singulis non erit:

Præ-

Præterea cum singulis penè diebus huiusmodi casus, euenire euidētia cōprobetur: (et quod deterius) sæpe immò sæpissime ab hac luce euehi videmus, qui aliquo offēsi veneni genere sūt: nec ab omnibus medicinæ sectatoribus dignosci perspicicimus: moueāt te igitur, àc excitent præfata omnia: &, vt citò imprimatur, festina: tuāque cura valetudinem, vt maiores in dies tuarum vigilarum fructus expectemus vale.

Ad

AD LECTOREM.
AVCTOR.

LECTOR candide, tę rogatum authors vult, vt Plinianę gnomæ meminiſſe velis; ſolebat vir ille ſumma rerum naturalium cognitione refertus, dicere? Nullum eſſe librum tam malum, vt non aliqua ex parte prodesſet. Itaque legas queſo hoc, quic quid eſt libelli, fortasſe legisſe iuuabit. Sin autẽ palato tuo iſt hæc noſtra non ſapiunt, non opus eſt vt de nobis malè loquaris, qui preſtitimus quod potuimus: ſed tu ſi meliora habes, illa ex ſcrinio pectoris tui prome, atque ede in vſum comunem. Quòd ſi hoc in libello venenorum numerum compoſitionem, & præſeruationis modum, atque curationem non reperies, ne ſubitò exclames quęſo, hoc opus mãcum eſt. Etenim omiſimus hec nos prudentes & de induſtria

ſtria. Nam docere omnium venenorum numerum, & eorum compoſitionem, periculoſa (Galeno teſte) tractatio eſt: nam poſſet anſam maleſaciendi impijs hominibus præbere. *At* preſeruatio & curàtio ex Galeno, Auicenna, Paulo, & cœteris haberi exactè poterit, quare ne alienis laboribus nos ornaremus, illas ommiſimus. Quanquam in opere quod de Peſte citò in lucem prodire (Deo annuente) Faciemus, veneni curatio diffuſiſſimè à nobis pertractabitur. Vale.



DE VENENATI HVMANI CORPORIS DIGNOTIONE CAP. I.

Mortem non posse succedere, nec euenire nisi cor patiatur.

CLarum, & in re medica indubitatum est, mortem viuentium animalium succedere nō posse, ni cor patiatur: teste Galeno, primo prognosticorum, cōmentario secundo cōmento quinto, cuius verba sunt hæc, Cùm verò tria sint (vt didicisti) principia, Cærebrum quidem Functionum earum, quæ ex volūtate oriūtur: Cor vitalium appellatarū: iecur uerò earum, quæ alimoniæ inseruiūt, quas naturales vocāt. Naturalis vitalìsque imbecillitas deterrima est & citò hominē tollit: nempe & vnà cum ea, quæ à cærebro est, confestim exoluitur: primo tamen mors oritur ex cordis affectione: & si alia

duo principia cærebrum, & iecur mortem causare possunt, tamen non nisi dum affectio cordi cōmunicatur, ipsòque læso. Idem testatur Galenus in 4. de ratione victus in morbis acutis cō. 47. & 5. de locis affectis capite 1. quando asserit? Quum itaque tres sunt principes partes, quibus gubernatur animal, (quippe præter cordis principatū ostensum est, & sensum, & motum, uniuersis corporis partibus, à cærebro suppeditari, iecur verò nutricis facultatis esse principiū) semper mors sequitur ad immodicas cordis intemperantias: simul enim cum ipso, omnes vitiantur partes: & paulò superiùs dicebat se in alijs libris dēmostrasse innati caloris cor, veluti fontem esse: neque animal omnino mori posse, ni cor afficiatur. quæ omnia cōfirmat Auicenna in libro suo 1. fen 1. doct. ina 5 cap. 1. Cærebrum & iecur, suas actiones perficiunt, peculiari cordis temperie. Qua deperdita, vel pereunte, actiones quoque ipsorum perire necessarium est. Cerebri autem & iecoris temperie de-

per-

perdita, vel pereunte, non oportet cordis simul actionem perire. Sic Auicēna affirmat lib. 1. Fen 1. doctrina 6. capite 4. in folio 47. Si enim neq; mouēdi, neq; sentiēdi ab electione facultatem animal habuerit, neq; nutriatur veluti in latētibus euenit animalibus, nihilominus viuere ipsum posse quòad cor mãserit illæsum, haud quaquã negandũ est. Sine motu, & nutritione, sine sensu & loquela viuere potest animal, & in vita manere, Cordis tamen actione durante illesa: sed si cor temperiem suam deperdat, vel respiratione priuetur, illicò hominem perire necessarium est: sine inspiratione vel transpiratione cordis, vitam adesse non est possibile.

An venenum tres principes hominis partes æquè afficiat? Cap. 2.

MOrs quomodo ad Cerebri, iecoris, & cordis affectionem, & intēperiem veniat demonstratum est, venenum cùm mortem causat, & animal interficit. Nunc videndum est,

an has tres mẽtionatas partes æqualiter offendat, & afficiat? vel aliquam ipsarum primò ledat? Qua in re medicorum opinio, atq; sententia est, aliqua esse venena Cærebrum, aliqua iecur, alia cor offendentia: Quia in pestilentijs alijs iecur, alijs Cerebrum, alijs Cor, Pestem multi inuasisse audiuerunt, & ipsemet oculatus testis esse possum. Nam Cùm ego pesti præessem, quæ anno 1575. Scyllacium oppidum in ora Calabriæ inuasit, & per circum vicinas grassabatur regiones, à peste afflictos multos infelices creui, & in ipsis has partes læsas esse dignoui. Non consentio tamen, venenum cærebrum, & iecur primò & principaliter respicere: Sed à proprietate & primò cor ipsum sibi determinare: Et generali quadam oppositione, venenum in quãtum venenum, se opponere ad virtutem uitalem, & primò cor respicere; deinde quædam magis approprìantur ad lædẽdum cærebrum, & virtutẽ animalem, quædam ad lædendum iecur, & in dictis partibus læsiones

mani-

manifestè relucent. Et quanuis in pestilentijs repertum sit, & reperiatur, citò læsas esse facultates animales, quia interrogati ad propositũ non respondent, ac si non intelligerent, recto tramite deambulare nec in pedibus stare possunt, oculos & palpebras quasi immobiles habentes, oculos rubentes & cum lachrimulis aliquãdo videntur, & in aliquibus læsas esse facultates naturales uidere est; non per hoc dicendum puto aliquod venenum primò respicere cærebrũ, posteà uerò cor; re enim uera venenum quodq; cor sibi determinat, & eòq uãto citiùs pergere properat ut natiuũ calorem suffocet & mortem inferat: attamen in pestilentijs illud euenire dicimus ex maiori cordis resistẽtia, & uitalis uirtutis robore, quæ repugnãt, & cordi ueneni impressionem (ut possibile) fieri recusant, & prohibere conãtur. At cærebrum & iecur tantum robur non habent, & ad talem prohibitionem resistentia ipsorum est minor, nihilominus in peste, ut pestilens dicatur corpus, est necessè ut primò lues il-

la cordi cõmunicetur, & corpus febricitet; quæ lues primò cordi communicata, deinde per breuissimum tẽporis spatium, cærebro, iecori, & uniuerso corpori cõmunicatur, expanditur ac dilatatur. Confluxus siquidem unus, cõspiratioq; una, & una in omnibus est. Et quãuis læsio in cærebro appareat, erit quidem clarior & manifestior ibi magis quàm illa quæ est in corde quæ obscurior erit: non tamen per hoc iudicandũ primò cærebrum inuasisse. Ex quibus patet venenum semper cor respicere, & ad ipsum tendere, ut finẽ suum quem intendit, attingat: Et si quis obiecerit dicẽs, Mandragora, Cicuta, similiaq; uenena frigida, soporifera sunt, & immediatè soporem inducunt, qui sopor cærebri affectio est, ergo immediatè & primò cærebrum afficiunt, & inuadunt: quia cærebri non autem cordis sopor affectio est, teste Galeno in secũda par. apho. in comento 2. & 3. de morbis uulgaribus; insuper à canis rabidi morsu in principe animali parte læsio videtur, aquam pertiment, & aufu

giunt

giunt. Ad quam obiectionem dicimus, quòd quanuis sopor cærebri affectio sola sit, negatur tamen consequentia, ergo uenenum primò cærebrum quàm ipsum cor inuasit & affecit, nam in ijs cærebri affectionibus, etiam cor primò inuasum & passum est, & sine alteratione cor inuenire & adesse non licet, si non hic manifesta, externa, & sensibus nota, saltē interna, & occulta magis: uicina enim pars priùs quàm remota afficitur, & uiciniori parti affectio cōmunicatur magis; Sic testatur ipse Gale. de pleuritide loquēs in libro de cōstitutione artis medicæ cap. 18. quando inter cætera signa, febrem numerauit, quia pleura phlegmone affecta cordi uicina erat. Cùm igitur venenum siue calidum siue frigidum, in uētriculum descendit, tum ipsum, tum eius præcipuè os intēperat, infrigidat, alterat & mortificat, & illa mala uenenosa intēperies, primò & celeriter cordi cōmunicatur: deinde uerò ipsi cærebro, quia cor magis quàm cærebrum uentriculo uicinius est: tanto magis

quia uenena frigida ut necent, duo ipsis necessaria sunt, duoq; requiruntur; primum quòd sint in quantitate, secundum quòd celeritate necent nam si celeriter non necarẽt, & ut actu frigida integra, & immutata cor non attingerent, vtique non necarẽt. Certè si in parte corporis morarentur, calfierent, & mutarentur, & calfacta vim per quam agebãt, (quæ extrema frigiditas erat) deperderẽt, teste Galeno 3. de simplicium medica. facultatibus cap. 18. quo circa necessariũ est dicere, primò, & quàm citissimè ad cor pergere, non autem ad cærebrum, Quamquam hæc comunicantia, & progressus ueneni a uentriculo ad cor primò, deinde ad dictas partes, est quasi incomprehẽsibile tempus; eodem modo dicendum esse dicimus de canis rabidi morsu, quòd quanuis læsio in cærebro manifestetur, nõ per hoc ualet, ergo primò in facultate animali prĩcipe læsio est: nisi quis prioritatẽ notitiæ intelligere uelit, non autem re uera & prioritate existẽtiæ. Insuper ueneni frigidi natura est, vt mor

tem

tem inferat: calorem natiuum mortificare: ergo primò attingit cor, postea verò cærebrum, quia in corde natiuus calor residet, & fons vitæ nostræ cor ipsum est: quo cordis calore mortificato actum est de vita hominis, semperq; venenum non solùm quod per os sumptum, sed quod de foris approximatur, ad cor pergere properat. Arteriæ siquidem cõtinua eorum transpiratione & motione semper mouẽtur; per vacuum, venenũ naturali oppositione ad cor permeat, vel ad aeris attractionem ab arterijs venenum attrahitur: non tamen de intento, sed ad aeris attractionem, & sic secundariò & per accidens. Quòd venenum in corde resideat, & primò eò lociaccedat patet ex remediorũ adhibitione. Nam in venenato corpore, cordi, cordisq; regionibus theriaca, cæteraq; remedia applicãtur, cor ergo venenum attingere, & primò ad cor accedere dicimus & affirmamus.

Quid sit venenum, quotuplex sit. An simili modo venena agant, si semper necãt & an aliquando non iugulẽt. Cap. 3.

VEnenum ut venenum, toto genere præter naturam, humanæ naturæ deleterium, & secundum proprium tēperamentum ipsi naturæ substantialiter contrarium esse testamur: de quo quidē veneno plures differētiæ sunt, & apud Gale. in 3. de simpl. medic. facultatibus ipsius differentias inuenire licet, quando in cap. 22. allegati loci testificatur, quædam esse venena toto genere lethalia, totoq; genere præter naturā, & humanæ naturæ deletheria: quædam verò esse uenena nō toto genere præter naturā, nisi sola quantitate Prima, calida venena sunt corrūpunt, putrefaciunt, & erodunt sanguinē qui calidus est & humidus, corrūpere & putrefacere nunquā desinūt, vicinasq; partes erodūt, & qualitate necant, 3. morborum vulgarium cōmentario 3., comento 75. & cùm eorum actio in caliditate, ac in putrefaciēdo cōsistat, his tempus actionem adauget, quoniam putredinē semper causant maiorem, & ex cōsequēti eorū actio, & calida qualitas augetur & fortior redditur.

ditur. Quæ autem sola quantitate necant, frigida sunt, et tāta eorum quātitas requiritur & est necessaria ut calorem cordis refrigerare, minuere & mortificare valeāt: 3. de simpl. medi. facultatibus, cap. 19 & 21. in quibus allegatis locis, exemplū viridium lignorum ponit, quomodo flāmam extingunt. Quæ verò qualitate necant, (intelligendo qualitatem non denudatā à materia rei venenosæ) aliquando non necant: Aut quia præ eorum tenuitate per aluum cū excremētis excernuntur, priùs quàm corpus iniuria afficiatur. Aut si cui accipiēti bona fauerit fortuna, videlicet quia aut cibis, aut quæ alioquì conferunt, utatur, aut medicum qui curādo præsit nactus fuerit: nā ubi grauis ab ijs noxa illata est, malum neq; victus ratione, neque generosorū medicaminum, mediciq; auxiliātis ope sisti & reparari potest. Vel si prorsum exile sit venenum 3. de simpl. medic. facultatibus cap. 23. Rari tamen mea sentētia, & quā rarissimi saluātur: & longè plùs est morientium

quàm incolumium copia. Venena igitur humanis corporibus mortem afferunt, quæ mors nil aliud est (propriè tamẽ mortem intelligẽdo) quã omnimoda naturæ prostratio, quãuis in primo de differentijs febriũ cap. 8. mortem natiui caloris extinxionem esse Galenus dicat, primã narrationem in 3. libro de crisibus cap. 5. quisque inuenire potest, vtcũq; tamen sit, mortem semper venena minantur.

An humorum corruptio aliqua generetur, quæ veneno æquiparetur. Cap. 4.

COnclusimus igitur venenum vtcumq; sit siue calidum, siue frigidum, cor primò respicere, ac inuadere, vt effectum suũ adeò terribilem producat: verùm quis adhuc quærere posset, & non extra propositum. An humores vel aliud in corpore existens, adeò corrũpatur ut veneno similis euadat veneniq; naturam præ se ferat: quæ dubitatio ad propositum rei præpositæ,

mihi admodùm facere videtur, vt infra dicemus. Ad cuius dubitationẽ dicimus, apud Galenum luce meridiana clariùs esse, & inuenire talem corruptionem in corpore citra venenũ oriri posse, quæ veneno æquiparetur. Et primò Galenus in 6. de locis affectis cap. 5. inquit, reliquum est vt inuestigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit adeò vehemens vt veneni tũ qualitatem, tũ vires æquet. Sequitur paulò infra. Nam qui maximè vidẽtur super hac ambiguitate disputasse, ij eosdem fieri affectus concedũt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortũ habet; per quæ verba clarè patet humorũ corruptionem adeò vehementem oriri, & in corpore nasci posse, vt venenum repræsentet. Insuper Galenus in 5. de locis affectis cap. 7. inquit quòd interdũ corrũpuntur humores, citra lethalis veneni potionẽ, velut epoto veneno, cuius verba formalia sunt hæc. Sæpenumero videtur citra lethalis veneni potionẽ, humores similiter, vt epoto veneno corrump-

rumpi non mirum est, si aliquãdo sic mutãtur humores ut uniuersum corpus æruginosum eua dat: fieri etiam potest ut iecinore secundum tem periem mutato, humores huiuscemodi uitio affi ciantur. Hoc idem Auicenna fatetur, libro 1. fen 2. doctrina 3., cap. 3. Insuper, libro qui Ga leno attribuitur de dissolutione cõtinua dicitur. Quòd crysomela, mora, & batheca (quã pepo- nem Saracenicum esse volunt) si citò non descẽ dant, de stomacho, còrrũpuntur & quãdoque corrũpuntur taliter, ut inde gignatur succus si- cut uenenũ perniciosum, & in libro de sperma- te affirmauit, sperma retentum præter naturã, idem quod uenenum operatur. Ampliùs mate riæ uenenosæ ex improbo uictu oriri possunt: ut idem Galenus asseuerat in 6. de morbis uulga. comentario 6. quãdo inquit. Exoriuntur enim dolores quidam maligni à maleficis, seu medi- camentis, quæ deletheria id est mortifera uocant seu færis uenenũ ictu fundẽtibus, siue succis ali- quibus ex ĩprobo uictu aut pestilẽti cælo in cor-
pore

pore genitis. Vltimò medicamentũ purgãs deuoratum, quãdo non purgat, in venenũ conuertitur, & in corpore cõmutatur ac redditur, asserente Galeno in libro quos purgare oportet; ex quibus iam supra adductis rationibus & authoritatibus, clarum & ad amussim demõstratum esse iudicamus, quòd humores in corpore, adeò vehemetẽ corruptionẽ acquirere possunt, (citra ueneni potionẽ aut assumptionem) ut ueneni tum qualitatẽ tum uires æquent; atq; hinc credo obortã esse difficultatem in uenenati corporis dignotione. Nam si adeò vehemẽs corruptio in corpore oriri potest, ueneni uiribus & qualitate assimilis, ergo signa certa ueneno cõpetentia, quin huiusmodi corruptis humoribus in corpore non cõpetant, non habemus. Ad quæ respiciẽs Paulus Ægineta in libro 5. cap. 27. dixit Neq; enim indicia horum (supple uenenorum) exactè, ac liquidè in affectis deprehendũtur, ut quis inde cõueniens applicet auxiliũ: tãta est enĩ uenenorũ in cognoscendo difficultas, ut vulgaribus

bus qui tale turbidum pelagum ingrediãtur nõ est opus. Neq; hanc authoritatem per nos adductam quis contra nos reflectere poterit, frustra me laborare dicens, quòd signa veneni venari conor; illa enim uerba Pauli, ueneni arduã difficileq; cognitionem demonstrãt, nõ antẽ impossibilitatem, quòd sit uerum hoc, patet. Nã idem author paulò infra uenenorum curationẽ, & præseruationẽ aggressus est; frustrà siquidẽ hoc tractaret & faceret, si ueneni signa impossibilia essent. Nam morbi cognitio, ipsius curationẽ præcedere debet. Voluit insuper medicinam profitentes attentos reddere, circa talem cognitionẽ ac si magis clarè diceret, qui uenena exactè dignoscere vult, medicum esse oportet, (bona ut aiunt) cõscientia & probis in primis moribus munitum, & in arte medica & ægrorũ curatione exercitatum; nec gloriæ, nec honoris, nec lucri, sed tãtùm ueritatis amatorem, qualis fuisse traditur Hippocrates ipse.

Si hu-

Si humores in corpore adeò corrumpuntur, vt veneni vires æquiparent, ergo propria veneni signa, quæ ipsi duntaxat veneno, non etiam tali humorum corruptioni competant, nulla esse poterunt. Cap. 5.

Conclusum est de mente Galeni, Auicennæ, & Pauli, humores in corpore adeò corrumpi posse, ut veneno similes euadant. Sed ad huc quis dubitare posset, si humores in corpore adeo corrunpuntur citra veneni potionem, ut veneno æquiparentur, ergo propria signa veneni esse non possunt, quæ febribus lypirijs, ephialis, & causonidis malignis, quæ ex maligna humorum corruptione causantur, non etiam competant, & exconsequenti certa venenorum notitia ac dignotio non erit, nec haberi poterit: insuper corruptio est mutatio in substantia, generatio est mutatio in substantia, ergo generatio est corruptio, cosequentia non valet,

nam licet tam generatio, quàm corruptio sit in substantia mutatio, non tamen vno eodèmque modo, sed diuersimodè, nam generatio est mutatio, idest ad substantiam productio, et ad esse, corruptio est illi contraria, nempe substantiæ corporis destructio, & ad non esse mutatio: teste Galeno in primo de naturalibus facultatibus capite primo: & reuertendo ad primum, à quo noster dicessit sermo, dicimus, quòd quam vis in uiuenti corpore talis humorum corruptio veneno similis oriatur, non per hoc valet, ergo talis humorum corruptio re vera uenenum est; est benè similis, simile autem non est idem, hinc cùm vnam, & eandem identitatem non habeant, mirum esse non debet, si aliqua signa sunt, veneno competentia quæ tali ennarratæ humorum corruptioni competere non possunt: verùm quia res ardua; & difficilis est, pro introductione, & faciliori intellectu ipsius, quædam sunt menti tenenda, quorum primum est, calidum venenum, corruptionem, putrefa-

ctionem,

ctionem, erosionèmque causare in corpore, & in vicinis partibus operari; Atquæ hæc corruptio, à veneno causata incorpore, sano (vt dicitur) modò intelligenda est. Etenim putrefactionem intelligo, non quidem absolutè, sed putrefactionem cum maxima graueolentia, et fœtore, quinto de simplicium medicamentorum facultatibus capite decimoquinto, ex quibus colligere licet, putrefactionem à veneno causatam, & eccellentem, & vehementem, & grauissimi odoris esse: Hoc idem confirmauit idem Galenus in sexto de locis affectis capite quinto, quando dixit, Aut putredinem molestam olet: dixit (molestam) idest grauissimi odoris, postponimus inpresentiarum putrefactionem à philosopho dictam, quam, rei incinerationem esse dixit, vt in 4. metheororum apud Aristotelem videre est, nam de tali loqui non intendimus: sed de ipsa putrefactione loqui intendimus, eo modo quo Galenus in vndecimo methodi medendi capite octauo, loqutus est:

quando dixit, putrefactionem esse totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelã mutationẽ, à calido externo: non autem à calore proprio natiuo, quia natiuus calor omnia cõseruat: Secundũ est sciendum, An viuum corpus uenenum sumpsisse, ueniat cognoscendũ et an ab eodẽ veneno necatum sit: circa quod animaduertatur, an febricitauerat per prius maligna febre (nam ex benigna, quæ cum tutissimis signis continuò incæpit, & perseuerat, mors succedi non potest) si febre igitur maligna per priùs febricitauit, per hæc signa dignosci potuit. Si in principio æger friguit, & caluit unico eodemq; tẽpore, non tamẽ uno eodemq; in loco, quia hoc esse est impossibile: sed diuerso in loco, nam intùs, & in ipsius visceribus, calor sentitur, in extremis autem partibus frigus aderit. Hæc perpetuò signa sunt febris lypiriæ. Prætereà est & quoddam aliud ardẽtium febriũ pernitiosum genus (referente Galeno in libro de inæquali intẽperie cap. 8.) in qua febris specie, æger animi deliquiũ patitur

tiitur

titur, propter acris humoris præsentiam in stomacho, & ventre: Si est causus malignus, in principto rigor apparuit, & febris non euanuit immò perseuerauit: signum malignitatis clárum: rigor e causonidem febrem terminare solet, hinc decretoria, critica, non iudicantia malum, nec in principio decretoria elucere oportet: primo morborum uulgarium comentario secundo, comento 75. Insuper si adsunt vigiliæ, angor, paucus in fronte sudor, & circa faciem: desipientia continua, frigiditas extremarum partium: incendium intùs: omnia hæc maligni tatem arguunt: illa bilis raptum ad cærebrum, hæc coactum sanguinem incorporis meditullio inditium est: Extrema frigere, & gelidescere emori animal, destituente iam ea Natura: si liuent, demori ea inditium est. teste Galeno in quarto de ratione victus inacutis 16. & 26: Æistuare, linguam habere arentem, & non sitire; facultatem ventriculi appetitricem emortuã, et animal morti proximũ esse arguit.

Timor, & mæstitia, (quæ deustæ flauæbilis symptomata sunt) etiam malignitatem arguũt teste eodem met Galeno, tertio morborum uulgarium, comentario tertio, comento quatragesimo sexto; Insuper, in solidis corporis partibus & circa cutim nigredo: papulæ nigræ; cutis efflorescentia, viridis, nigri, æruginosiq; coloris, si stomachi morsus, si virulenta, uel æruginosa deiectio, uel uomitio adest, prauitatem humoris in uentriculo existentis demmostrant, vel quòd ibi sint, uel quòd aliunde fluant, & adurentium febrium ferè sunt consequentia: tertio morborum vulgarium, comentario tertio, comento septuagesimo quinto, vrina nigra, uermium apparitio, putridæ, vel colliquatiuæ deiectiones: inquietitudo: luctuosa suspiria: si aliqua absumere appetant, quæ cùm approximãtur, ægri abhorrent, nec sumere appetãt: omnia mala sunt, malignitatèmq; arguunt: Est mẽti tenendum, si febris ardens aderat, in stomacho, uel ventriculo accensa; Tunc cibi fastidium

um

um aderit, incendium indictis partibus: sitis, difficillima, & creberrima respiratio, si inpulmone, sitis valida, quæ aeris frigidi inspiratione potiùs, quàm aquæ potione iuuatur: respiratio creberrima, & circa faciem rubedo, & in thoracæ, & præcordijs calor & incendium, intùs magis, quàm deforis, Si in hepate, lingua rubra aderit primò, de inde nigra videtur, sitis intensa, æruginosus, & vitellinus biliosus vomitus; appetitus prostratio, aderit: si in tertia die æger moritur, dummodo secunda accessio fuerit grauis, & vehemens, uel post quartum diem febris ratione moriturum tenendum est: & symptomata febris naturam consequi tertio morborum vulgarium comentario tertio comento septuagesimo quinto, et in quarta par. aphor. quando dixit? febris quæ cum tutissimis signis inuadit, quarta die terminatur aut ante si uerò cum pessimis signis, quarta die, aut antea necat: Est valde animaduertendum, quòd quamuis prædicta symptomata uideantur in-

dictis febribus, tamen post cibi, uel potus assum ptionem, non aderunt, hæc alia signa, nempe? uomitus spontinus, uirulentus: dolor stomachi malignus; & erosiuus: corporis coloris mutatio, inquietitudo: labor, palpitatio cordis; cordis morsus in explicabilis, cordis, cordisq; viæ angustatio, uirtutis uitalis casus, in ore grauis fætor, sudores in fronte frigidi, syncope, animi deliquium, & conquestus ægrotorum dicentium se mortuos esse, Hæc ultimò à nobis dicta si non adsint, quamuis ante dicta adfuerint, mors febris malignitati, & non ueneno adscribatur. Est insuper menti tenendum, si in ægro coma, uel sopor apparuit; si cærebri frigidam intemperiem patiebatur, si perseuerante comate, uel sopore, per diem, uel per noctem, æger per temporis interualla expergiscebatur, respirationem & motum habebat: si post soporis, uel comatis apparitionem, per tres horas, oculos aperiebat, loquebatur, & in stomaco frigiditatem, pondus, dolorem intensum, & perforatium,

sentire

sentire non dicebat, quamuis per diem naturalem, vel post, mori contigat, in causa fuisse morbum, & non venenum, vt æger perierit asserendum est: Vltimum menti figendum est, si æger plethoricus, athletarùmque more educatus, & à prima ætate, habitu corporis carnosiore, pinguique fuerit, vitàmque egerit otiosam, crapulis, & ebbrietatibus assuetus, si per priùs fortiter, frequenter, absque causa manifesta de repente exoluebatur, hunc igitur, si de repentè mori contingerit (Dummòdo post mortem, corpus, colore liuido, nigro, porraceo, vel æruginoso, non sit mutatum, nec grauis odor sentiatur, nec quæ à nobis narrantur signa, post mortem apparuerint) alia sanè causa, non veneni ratione occubuisse censendum est: causam videte apud Galenum in secunda par. aphoris: comento quatragesimo quarto quàndo inquit, Qui admodùm crassi sunt, citiùs intereunt quàmqui graciles, & in eadem secunda parte aphorismorum

comento

comento quatragesimo primo, quando dixit? qui fortiter, & frequenter, absque causa manifesta, de repente exoluntur, de repente moriuntur; declarans ibi, & doctè, quomodo repentina mors succedat.

Quòd per hauthoritatem famosam sexti de locis affectis, venenum dignosci non possit. Cap. 6.

MVlti, de veneni dignotione interrogati, statim aperto ore exclamant, tum uenenum intùs assumptum, tum & venenatum corpus dignosci posse; quia Galenus in sexto de locis affectis capite quinto, veneni signa enarrauit; ibique tractationem hanc scripsisse affirmant, cuius capitis formalia verba sunt hæc, verùm defacili discerni posse eos qui uenenum sumpserunt, ab ijs, qui aliunde affecti sunt: Quum enim homo suapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus,

de

de repente moriatur (vt lethali assumpto ueneno fieri solet) deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium est, aut diffluens, aut putredinem molestam olet, hunc venenum sumpsisse aiunt, hactenus Galenus. Ex cuius uerbis affirmant, venenum intra corpus, venenatàq; corpora dignosci posse: Atque etiam de mente Galeni, hoc posse teneri, dicere audent. Sed toto (Vt dicitur) coelo errant, nam Galenus hic de propria mente non loquitur, nec ex intento, et ex professo in hoc capite de ueneno tractat: sed de uteri affectibus, sed quia uidit in corpore humores interdum corrumpi, & uenenosam qualitatem contrahere, ut in cane rabida ex accidenti, & obiter paucula illa de veneno interseruit. & licet sit aliquid in preallegatà authoritate, quod pro aduersario facere uideatur, dicimus tamen ad aliorum mentem, loqutum esse Galenum Quòd autem non ex propria sententia loqutus sit, Galenus, ultima uerba autharitatis adductæ demonstrant, ac confirmant

firmant, quando dicit? Hunc venenum sumpsisse aiunt, dixit (aiunt) non autem (asserimus) vel (affirmamus: Antiquorum namque mos erat, quando non solùm de mente propria, sed etiam de mente aliorum, qui ad propriam concurrebant, loquebantur, dicere, (arbitramur) Asserimus, ut fecit Aristoteles in primo posteriorum libro, textu septimo, in quo definiens scire dixit? Scire autem arbitramur, vnumquodque & c. dixit (arbitramur) non autem dixit, arbitror, addenotandum, quod demente tantùm propria non loquebatur, quasi dicere velit peripateticus, Nos Aristoteles, & alij Antiqui naturales Arbitramur, Sic Galenus dixit, (aiunt) non autem dixit (asserimus) ut demostraret demente aliorum tantùm loqui: insuper si de mente propria loqueretur Galenus, esset vtique sine dubio deficiens, quando enim inquit? Quum enim homo suapte natura probis humoribus abundas, ac sanorum more educatus, de repente moritur,

tur, vt lethali assumpto veneno fieri solet, & cætera; non ne clarissimum esset, quòd siquis acuta febre febricitaret, atque etiam veneno obiret, quòd hæc verba nihil concludunt? nec demonstrant? nec scientia de veneno haberi posset. Etenim homo dum febricitat continua febre, probis humoribus non abundat. Sanguis enim dum corrumpitur, in alienam naturam conuertitur, bilis silicet flauæ, vel atræ: sic idem Galenus affirmauit, in secundo libro de febrium differentijs capite vndecimo, & necessarium est, intra venas abundare (putridus tamen) vt continuam causent febrem, ergo melius est dicere (& vt rei veritas est,) Galenum ad aliorum tantùm mentem loqutum fuisse. Non negamus tamen nos, quòd hæc in authoritate dicta & relata, adesse non possint, in venenato corpore: sed quomodo autem intelligi debeant verba authoritatis, in sequenti tractabimus. Verùm quis Quereret (&

non

non extra propositum) dicens? Quamquam de mente propria Galenus non loquatur, nihilominus tantorum uirorum dictum, maximi momenti est: ipsorum opinionem Galenus non recitasset, si viri illi maximæ authoritatis non erant, & nisi uerum dicerent: igitur ennarrata uerba, veneni dignotionem concludunt: Ad quod respondentes dicimus, istorum uirorum dictum, ueritatem sentire, in parte tamen, & limitatione præmissa: nam undique & sine limitatione uerum dicere non fatemur. Testamur siquidem, quòd si maximæ authoritatis in arte medica uiri illi non fuissent, utique sine inpugnatione eos Galenus non reliquisset: sic enim multis in locis facere solet, aliorum opiniones refert, quas postea inpugnat, & reprehendit: quare hoc in loco idem fecisset; Sed nunc uidemus quod hic sic non fecit, quarè censendum est viros illos uerum dixisse: sed ad huc quis querere posset, cur Galenus, si eos non reprobauit, non explicitè laudauit? ergo colligere licet, di-

ctum

ctum ipsorum anceps, & dubium fuisse: Nos autem dicimus: illorum uirorum opinionem, et sententiam quam recitat Galenus, & omnia ut referuntur concurrentia, ueram esse, & uerum dicere, limitatione tamen praemissa, intelligendo scilicet de uenenato corpore, citra tamen aegritudinem praecedentem. Dicunt enim isti tria, si quis probis humoribus abundans, secundum, sanorum more educatus, tertium de repente moritur: quibus tribus iam dictis concurrentibus, addunt: De inde corpus, aut liuens, aut nigricans, aut varium est, aut diffluens, aut putredinem molestam olet, hunc uenenum sumpsisse aiunt, unde, in corpore sano, quod per prius non aegrotabat, id quod isti uiri testantur, verum est, & uerum esse nos etiam firmamus Ad quod respiciens Galenus, uoluit mentem eorum recitare, & non inpugnare, sed quoniã dimminutè loquti sunt, nam de corpore non sano, sermo eorum non uerificatur, ideo Galenus nec laudare, nec confirmare, ea quae dixerunt, voluit;

voluit: numquam enim videbitur, cum continua acuta febre, humorum probitas ideſt bonitas adeſſe. inſano tamen corpore, ſi repentina mors ſuccedat, concurrentibus omnibus in authoritate contentis, & ennarratis, ſine dubio venenatum corpus illud eſſe, & veneno necatum intrepidè tenemus, & affirmamus. non igitur ex hac authoritate, uenenati corporis, nec veneni dignotio haberi poterit, Nec veneni cognitio habebitur per authoritatẽ illam Galeni, in libro de ſuccorum bonitate et vitio, quam uis de mente propria loquatur, quoniam authoritas illa, de venenoſarum ferarum morſu tantùm loquitur, quod demoſtrant, verba ſua, quæ ſunt huiuſmodi: Neque uerò illud non apertisſimè uidemus, ut negare nemo audeat, animalium venenorum eiaculantium ſuccos, quos in morſu reponunt, alios demorſam partem celeriter mortificare, alios putrefacere, aut phlegomonem, aut dolores vehementiſſimos ciere, Ex quibus uerbis clariſſimè colligitur, de vene

no

no, morsu venenosarum ferarum iniecto tantùm loqui. de veneno autem quod per os assumatur, vel per ænema infunditur, uel si per poros, & arterias, uel quouis alio modo corpus ingrediatur, nihil tractans: cuius veneni per morsum talium ferarum iniecti notitia, præter authoritatem aductam, haberi potest certa dignotio, ex ægro ab astantibus, & ab alijs: aderit insuper vulnus incute superficialiter, quod oculatim, quisquis fuerit videre poterit, & nos ipse videre poterimus.

Quomodo Venena Calida per os assumpta, & De foris ingressa cognoscantur in ægro corpore tamen. Cap. 7.

HIS *adnotatis, ac consideratis, tempus est ad praxim descendere, quomodo calida venena, & frigida dignoscantur: quæ, uenena existunt, existentiàmq; habent, in animalibus, in mineralibus, & in plantis etiam*

reperiuntur: uerùm quia res difficilis est, uolumus vt attenti auditores sint. & quod animaduertant quando ad curandos ægros, uel eos visendos tam inuita, quàm & post mortem, accersiti fuerint, ante omnia subiectum circa quod periculum est faciendum considerent: si mulier est, si in honostè uixit, nec absq; affiniũ & uiri scandalo: si uir, cuius qualitatis vxor & domesticæ sint: si per ægri uitam, ipsorum vita in periculum erat: si status eius, alteri succedendo, conferat, & prosit: & vt breuiter dicam, si ab ægri morte pendeat aliena salus. ad rem igitur deueniendo, venena aduersissima humanis corporibus sunt, 5. simplici: medicam: facult: capite 18. à quorum assumptione humana natura corrumpitur: corrumpitur enim, dum de repente calesit, frigesit, humectatur, & exiccatur, aut eius vnitas dissoluiuitur, ut idem Galenus confirmat in libro de inequali intemp. capite 3. hinc humana corpora, per intemperiem primo, secundo per solu-

tam

tam Vnitatem, ipsa ipsorumque natura corrumpi est necessarium: tam si calidum, quàm si frigidum venenum erit, & ut sermo noster, à calido initietur veneno sciendum est; quòd uenena calida cùm per os assumuntur, in ventriculum de necessitate descendunt, per oesophagum, ac per os superius uentriculi ingrediendo, ibi morantur, & cordi, per breuissimum temporis spatium comunicant: & tanto velociùs, atque celerius, si cibis ieiunus reperiatur venter. Quo tempore, ventriculum, & stomachum, talia venena uehementius lædunt, & alterant, putrefaciunt, atquæ corrumpunt: et circum vicinas partes etiam erodunt, tertio de simplic: medicament: facultatibus capite 22. Et quia aduersissima humanis corporibus sunt hinc illicò, Vomitus, ventris turbatio, corporis inquietitudo, ab ægro in explicabilis, labor, anxietas, de necessitate aderunt, & alui deiectiones uidentur: in fronte, & circa faciem sudor frigidus, & quia talia uenena corrumpũt,

 & cal-

calfaciunt, dolor in uentriculo, & circum circa malignus sentitur, & quoniam putrefaciunt, grauis fœtor per os, & excrementa exhalat. quia uerò erodunt, uehementissimi dolores, & erosiui erunt, ac & si venter laceraretur, & eroderetur: Quia putrefaciunt, & in corpore sanguis (qui calidus & humidus est) adest, ipsum putrefaciunt: hinc putrefactio augetur, & flegmonem causant & febrem: hinc incendium exurens, sitis intensa aderit, lingua nigra, & labia inflantur: nigrescunt, et tument. gula et uenter inflantur: torsiones circa intestina aliquando sentiuntur: oculi pertorquentur, ingrossantur, & in magnitudinem eleuantur: in furiosam maniam aliqui incurrunt: prauus, & horribilis sapor in ore sentitur: æger se morti proximum esse, conquerendo dicit: & ratione phlegmonis, in ea parte quæ phlegmone affecta est, sanguis concretus, & coadunatus permanet: tum etiam quia calor natiuus extinsioni vicinus est, frigidi-

giditas extremarum partium palpatur. Frigidi sudores à corpore emanant: erosio, eschara, & combustio, in gula, ventre, & in testinis reperiuntur: à calce euphorbio, auropigmento, sandaraca, quæ erodunt, comburunt, & escharam inducunt, causata: asperitas in gula, & circa fauces: sicca tussis quandoque etiam adesse videbitur: Et quia stomacus, ac ipse ventriculus, tum ratione situs quia cordi vicinus est, tum ratione communicantiæ inter ipsos per magnam arteriam, primo de causis symptomatum Galenus asserit, quòd quicquid uentriculus patitur cordi illud comunicat: tanto magis quia talia deletheria venena cor sibi ipsis determinant: quæ per breue tempus post eorum in uentriculo presentiam, cor attingunt, inuadunt, & afficiunt, sanguinem sinistri cordis sinus immutant, & corrumpunt: à quorum presentia cor illicò alteratur, hinc pulsus creberrimi, inordinati languidi, per breue tempus capil-

lares, postea casus virtutis uitalis videbitur: sine insigni, & exquisita precedente euacuatione: cor palpitat, & æger animi deliquium patitur: corporis partes quasi resolutæ videntur: & prostratus (viribus quasi resolutis, & deiectis) in cubili miser sine vigore iacet: & cum extinsioni natiuus calor est vicinus, syncopizat: & in stomacho, ventre, cordisque regione, manibus æger cutim palpando angit: ac si cutim ipsam lacerare uellet. tegumenta, syndonem supra se substinere non potest. Cor ac & si manu comprimeretur, & angustaretur miser percipit: Teste Philonio in tractatu suo de chirugia, capite 29. fol. 434. insuper sentit infelix se suffocari, ac si laqueo angeretur, & in corde morsum: Et quia sanguis vbique existens, à ueneno corrumpitur & putrescit, de necessitate corporis color, & signanter circa faciem mutatur: aliquando liuidus, aliquando æruginosus, aliquando uiridis uidetur, aliquando ad succi porrorum similitudinem

litudinem uirescit, Vnum eundemque colorem non seruat: semper varium corpus idest in colore mutatum erit: (sexto de locis affectis capite quinto, et quinto de locis affectis capite septimo (insuper venenatum corpus dignosci potest, quia sanguis, sub propria forma sanguinis non erit, sed uel sub forma bilis, vel atræ (putridæ tamen) apparet: per extraneam corruptionem à veneno sibi inbibitam et admistam, bilis, vel atræ formam continet: hoc Galenus dixit in 2. de differentijs febrium capite undecimo, vbi asserit quod sanguis, dum corrumpitur in alteram naturam transit, bilis silicet, uel atræ: phlebotomo periculum fieri potest, uenam incidendo, & in uase sanguinem ponendo: idem Galenus in quinto de locis affectis capite 7 confirmauit, quando dixit, sanguis ex morsu uenenosarum ferarum, per extraneam corruptionem quam habuit, in bilem conuertitur iecore haud quaquam affecto; & sanguis sic corruptus grauissimi odoris erit. Sic enim intel

ligendam esse voluit Galenus putrefactionem à veneno causatam: iuxta Galeni monumenta in quinto de simplicium medicam: facult. capite 11. & sexto de locis affectis capite allegato: corrumpitur sanguis dum à proprio & innato calore non regulatur, non regulatur propter presentiam veneni, quod, calorem partis in quem primo peruenit corrumpit: quare nihil habet sanguis ipse, nisi ut ad putredinem transeat: & unà cum putrescentibus humiditatibus putrefit: Ampliùs quæ per aluum, quæq; uomitione excernuntur à uenenato corpore uenenosa sunt. & alicui (ieiuno stomacho data) periculo non uacant: Vltimo consideranda est, tum cibi, tum potionis, potabilìsque rei approximatæ qualitas, an scilicet talia praua, horribiliàque enarrata symptomata causare poterant, aut non: dicimus hoc, nam sine cibo, uel potione vt plurimùm venena per os dari est impossibile: & post eorum deglutitionẽ statim supra dicta videbuntur, uel maior eorum pars

aderit

aderit, vltimò neminem latere debet, quòd in gula, uentre, & intestinis, ac etiam in ijs quæ vomitione, uel alui deiectione extra corpus expelluntur, uenenosæ rei, assumptæ, semper uestigium reperiri contingit, & oculatim dignosci potest: quibus symptomatibus iam dictis comparentibus, post cibi, uel rei potabilis deglutitionem, sine dubio venenum corpus illud sumpsisse affirmamus. si autem de foris, in lethali vulnere ponatur, venenum, dignoscetur, quia erodit, cauterizat, & depascit: dolorem causat molestum, febrem adauget, & generat, coloris mutationem in vulnere parit, grauem fœtidùmq; odorem exalare facit, & illa prima humiditas, quæ à vulnere exijt, uenenosa utique erit.

Quomodo post mortem, venenatum corpus dignoscatur. Cap. 8.

CVm autē corpus, uita fuerit priuatū de necessitate uariū in colore mutatū erit, ut prolixe & exquisite iam ēt recitatum supra, dictū

est: erit diffluens, idest humiditates vndiq; à corpore emanabunt, quia corpus corruptum est: fœtor intollerabilis à corpore exhalabit, quoniam eccellens putredo est: lingua vlcerata, & erosa, & circa os vlcera, aliquando tumor, et nigredo in gula: in ventriculo erosio aderit, & etiam circum circa vicinas ventriculi partes: ut Galenus habet in 3. de simplic: med: facultat: capite 22. vbi venena calidà putrefationem, erosionem, & corruptionem causare retulit. & vt indubitata dignotio habeatur, fiat corporis sectio, nam ventriculus, erosus, putridus, & grauè olens erit: vltimum & notatu dignum est, Quòd sanguis venenati hominis necat, adeò quòd fiat periculum, de eo dosim conuenientem dando alicui (ieiuno stomaco) de necessitate necabitur. teste Galeno, in libro de theriaca ad Pisonem capite decimo? quando inquit, Sanguinē hominis quem attinxerunt uirulentæ bestiæ Necare. Ex his omnibus hactenus enarratis, ad sufficientiam demostrasse credimus

mus, quando corpus quod ægrôtauit, veneno enectum dicendum sit. nam quæ à Galeno dicuntur, de corpore sano, humorum probitatem habente, ac educato sanorum more, repentinàque morte sublato, concurrente etiam corporis in colore mutatione, aliisq; in authoritate sexti de locis affectis capite quinto concurrentibus, et exestentibus, ad sufficientiam sunt, ad demostrandum corpus non ægrum, veneno fore necatum, & mortuum.

Quomodo venena frigida cognoscantur in corpore. Cap. 9.

FInito sermone de Calidis venenis, eorùmq; signis quibus dignosci possint: reliquum est ad frigidorum notionem descendere. quæ licet à calidis Diuersa sint, unum tantùm vtrisq; est comune, quòd silicet naturæ humanæ nostrisq; corporibus aduersissima sunt, necant: et Mortem afferunt. Diuerso tamen modo effectum

pro-

producunt, & in diuerso tempore. Calida in tertio die si ieiuno ventre assumantur: poterũt plus vltra progredi & minùs: corrumpendo, putrefaciendo, & erodendo mortem in ferunt: & quanto diutiùs in corpore perseuerant, & moram trahunt, tantò magis eorum actio vigoratur, fortiorque redditur; & toto genere præter naturam sunt: Frigida uerò sola quantitate præter naturam sunt, celeritate necant: spatio trium horarum, & (quod longissimum esset) Diem non pertranseunt: intemperando ad frigidum, mortificando, refrigerando cor, calorèmque natiuum cordis extinguendo, vitam cum morte commutare faciunt: celeritas actionem eorum uigorat; quæ enim frigore noxam inferunt, his celeritas ad pernitiem proficit: alioqui spatio aliquo temporis excalfacta, vim per quam agebant, de perdunt: tertio de simplicium medicamentorum facultatibus capite decimo octauo. Venenum igitur frigidum per os assumptum, in stomachum descendens, ipsum

totùmq;

totùmq; ventriculum infrigidat, & intemperat; & Mortificat: à quo extrema illa venenosa frigiditas statim cordi comunicatur: quare cor refrigerari, & mortificari est consequens, fit enim talis comunicantia, tum propter eorum uicinitatem, tum per magnam arteriam, quæ à corde ad os ventriculi superius terminatur: primo de causis symptomatum capite septimo: & sic celeriter animal interit, corde refrigerato: referente Galeno in libro de vsu pulsuum capite secundo circa finem capitis: & post cordis affectionem vnico contextu, & quasi per incomprehensibile tempus à sic frigido ueneno, cærebrum, musculi totius corporis, neruique omnes læduntur, quia ossibus neruis, cæterisque partibus exanguibus et natura frigidioribus, frigidum inimicum est: in libro de natura humana comentario secundo comento quinto inquit author ille. Membra siquidem natura frigidiora, procliuiora etiã sunt, ut à refrigerantibus causis afficiantur: proinde tanto fortius

us, et magis a uenenis frigidis offenduntur, quæ extremam obtinent & deletheriam frigiditatem; et propria eorum natura calorem natium mortificant & extingunt: hinc in ventriculo venenis accersitis, per breuissimum temporis spatium in uentre & stomacho frigiditas sentitur, pondus, dolor acutus, & cor refrigerari, pulsus parui, tardi, languidi, respiratio debilis & rara, & temporis progressu notabiliter intermittens, & deficiens. Oculi conniuent, comatosus, stupidus, stolidus, soporiferuse eger est, non mouetur, & per aliud horæ spatium, hæc omnia augmentum suscipiunt: Adest carentia anhelitus, quæ fit per vehementem frigiditatem principij uitalis. Galeno referente in quarta particula aphorismorum comento trigesimo quarto: æger sine sensu et motu prostratus iacet, ueluti mortuus, & dormiens moritū, confirmante, hoc Galeno in secundo de præsagatione expulsibus capite quarto: neruorum motus arterieriarum, & Musculorum non

adest,

adest, & sine pulsu æger est, Nec pulsus requiri debet, qnoniam arteriæ non pulsant: Nerui, musculi, et arteriæ non mouentur, quia per ueneni frigidi præsentiam, cor, ventriculus, cerebrum, musculi, & uniuersum corpus refrgerata sunt, & mortificata. hinc dicebat Galenus in libro de Placitis, Hyppocratis, & Platonis decertis capite septimo. Nam cùm uel frigore, vel ueneno frigefactum fuerit corpus, nulla alia re, in ipso alterationem patiente, statim quidem arteriarum motus, neruorum item, & musculorum cessat: non adest arteriarum motus, neruorum, item & musculorum, quia cor moueri desistit, propterea motus arteriarum non adest: frigidum enim cor, à veneno frigido redditum est, & respiratione priuatur, libro de fœtuum formatione capite quinto: musculi thoracis, & totius corporis, propter extremam frigiditatem ipsis admistam, moueri non possunt. stupidus, comatosus, soporiferùsuee st, ratione frigiditatis comuni-

municatæ cerebro. omne frigidum (non in remisso) soporem, & coma inducit, ac causat, tertio de locis affectis capite ultimo Galenus; inquit? At quotquot comatosi, & sonnolenti sunt affectus, omnes à frigida causa proueniunt; frigida suporem, stuporèmque inducunt. Insuper per os, & per nares frigidum expiratur? Nam si prope mortem (ex alia causa, quàm per uenenum) ipsum cor frigidum est, (sexto de morbis uulg: com: 4 comento trigesimo, quanto plùs per veneni frigidi presentiã? à qua, non solum cor, sed totum corpus frigidũ est, & omnia membra mortificata sunt: & spatio septem horarum, ad summum per diem non pertransit, quin non iugulet animal. Et de repente moritur idest cum breuitate, & quã minimo temporis spatio; Quæ omnia se consequentia, post cibi uel potus sumptionem, vel potionis approximationem, apparentia; venenũ frigidum corpus sumpsisse tenemus. Quòd adsint dolores intensi, nulli dubium sit, nam quæ

vehe-

vehementer excalfaciunt, vel refrigerant, dolorē inferunt: iuxta Gal. dictum in 12 methodi medēdi cap. 7. siue enim ut substātiæ sensibiliū continuitatē diuidētia, siue vt ea simul & cōfertim alterātia; semper enim quod vehemēter escalfacit, vel refrigerat id sentiētia corpora dolore afficere asserit: idem confirmauit in lib. de palpitatione, tremore & rigore, quando dixit? subita enim frigiditas dolorē causat: quāto igitur plus, venenum frigidū dolorē causabit? Præter hæc, sunt et alia signa; nā aliqui in ventriculo velut pōdus, ac si saxum adesset sentiunt, ut in gipso euenit: aliquādo viæ spiritus angustantur, & infelices, se angi, ac si laqueo suffocarentur, sentiunt: vltimò notādum venit, quod tam intra corpus, quàm in excremētis, tam per deiectiones, quàm per vomitiones excretis, vestigiū rei venenosæ deuoratæ, & assumptæ aderit, & accuratè querēti licet inuenire, & ex hoc certa & indubitata scientia habebitur. & hæc de venenis frigidis, eorùmq; signis dicere voluimus:

Quibus notis apparẽtibus, post veneni sumptionem, mors repẽtina eueniet: Notandũ esse volumus, repentinam mortẽ, citra venenum, euenire posse: ex potione eliquati croci, in quãtitate notabili, Epoti: Præterea gaudiũ inmodicum, & timor repentinus, in pusillis, debilibùsq; corporibus, natura gracilioribus, repẽtini obitus interdum causa fuerũt: hoc à nobis dictum, à doctoribus in capite de croco, tum etiam in 2. de causis symptomatum cap. 5. à Gal. dictum esse reperitur. Medicamentum purgans quando deuoratum non purgat et operatur, in venenum conuertitur: in leuitate intestinorum mortificatio adesse potest, & sine veneno, vt patet in 6. par. aphorismorũ in com. 3. per Gal. sed hæc omnia defacili cognoscuntur, nam corporis, oris, & linguæ color croceus erit; deiectiones croceæ, in vẽtriculo, & intestinis crocea potio reperitur; quò ad alia, ab astantibus, medici certiorati esse possunt; de immodico gaudio, aduentu obiecti delectabalis, et expectati vel obiecti hor

ribi-

ribilis, quod timiorem apportauit: sic de medicamento purgante, tum ex ægri, tum ex domesticorum relatione: & consideratis etiam illis à nobis supra iã prolixè dictis, de facili dignoscetur. Et similiter in leuitate intestinorũ, præcessit per priùs et per longum tempus, lientericus fluxus. differt tamen, mors repẽtina à venenosis rebus causata, ab ista ex dictis causis illata: tũ ratione causæ, tum ratione modi, tum ratione temporis: istorum causæ venenosæ non sunt, et sine signis, ĩ venenorũ dignotione recitatis, mors repentina prouenit: quæ in veneni sumptione, signa ibi enarrata, ac prædicta semper adsunt. Recitatis ergo & positis venenorum signis, reliquũ est tractare, quid agit natius calor in venenum, dum in ventriculo est: vt enim venena mortiferum causent effectum, à calore natiuo actuari est necessarium: in qua actuatione deleteriæ qualitates, venenorunq; vires deteguntur; ad quorum presentiam natura succumbit. dum ea calor actuat, idest in munitissimas partes

reddit, & eorũ qualitates detegit, ac in actu agendi, & operandi venena reducit, calorem aliquem in agẽdo, in ipsis imprimit. Non superat, nec venena vincit, quia venena sunt, alterant, & non alterantur: nec in aliti substantiã unquam se inuerti possunt: sed quis obijcire posset dicens? dictum hoc, in calido veneno difficultatem nõ causat, immo calor sibi mistus, fortius; & validius ipsum reddit: sed de veneno frigido nascitur difficultas: quoniam si natiuus calor, ut venenum ad actu operandum reducat, viresq; veneni detegat, & ipsum actuet, vt in ipsum agat est necessarium; in agendo quoquo pacto alterat, et alterãdo, veneno calorem imprimit. ergo incõsequentiam venit, ut vim, per quam, venenum frigidum agebat, deperdat: quòd, ut mortem inducat, integrum, inmutatum, & actu frigidũ, in quantitate esse debet, & cum celeritate necare, nam nisi celeriter necet, in corpore permanẽs alteratur, & fine frustratur suo. Ad quod dicimus venena frigida

inter

inter alias quas debent habere cōditiones, altera est, quod in quātitate sint: nam in pauca, nullius roboris essent; qua de re, calor natiuus respectu veneni debilis est, & ipsi veneno succumbit: et hoc eius impotentiam demostrat. Et sic natiuus calor facit, ut in febribus malignis, pernitiosisq; natura ipsa facit: quæ ab humorū acuitate, malàq; qualitate irritata, quòd noxium, et sibi inimicum est, sufferre non potens, contra ipsum insurgit, verum quia debilis est, hinc fit, ut tempore prelij, & certaminis, morbo cædit, & succumbit, malaque crisis sequitur: à pari, sic in actuatione veneni frigidi euenit, ad certamen natiuus calor erigitur, & insurgit: omni conatu noxium sibi, ex eius presentia extra pellere sperans: igitur quamtum quit, sua qualitate in eum agit: in cuius actione, venenosæ illæ qualitates deteguntur, in quarum detectione continuò calor pusillus, exilis debilisque redditur: & quam vis in hac actuatione, seu actione, aliqua calida, frigido veneno imprimatur

qualitas, adeò tamen illa exilis est, ut nec inmutet, nec in aliquo veneni vires eneruet: tantum unum facit? quòd ad actum operandi uenenum excitat, & conducit. quod potiùs veneno prodest, quam in aliquo obstat: quo circa fit, ut uelis expansis, venenum, calorem natiuum suffocet, & animal necet. exemplũ patet in lignis uiridibus, in largiore quantitate, super exilem flammam positis, quæ, flammæ extinsionem pariunt: tenuis enim ille calor, in ligna agens, ipsorum frigiditatem excitat, tum quod ex ipsis emanat, alterat aerem, et flammæ extinsionem parit: remanentque uiridia illa ligna, ab exili, leuìque flammæ, alteratione innoxia: exile enim tale pro nihilo reputatur, respectu maioris quantitatis: sic ergo in alteratione veneni frigidi, dicendum esse putamus: que alteratio adeò exilis est, & pauca, ut in considerationem non veniat: & ad aliud non deseruit, nisi quod accelerat magis, ad veneni operationem inducendam: ad

calo-

caloris natiui extinctionem, ad omnimodam naturæ prostrationem, & viuentis corporis interitum.

Quomodo venena per ęnemata infusa dignosci possint. Cap. 10.

CVm autem venena, venenosæque res, per ænemata infunduntur, si quæ supra enarrauimus, in memoriam quisquæ reuocet, circa ipsorum cognitionem multùm laborare non est opus: quoniam si ænema, venena frigida continet, ipsa aut non nocent, aut parùm, leuisque noxa ab eis infertur: rationem, & causam ad Galeni mentem iam supra adduximus; dicebat enim Galenus, frigida venena, quantitate & celeritate, & integra nec immutata necant: alioquin in corpore moram trahendo calfierent, & sic vim per quam agebant deperderrent; quando venena frigida in

in ænematibus miſcentur, quia calida, ænemata infundũtur, hinc uenena alterarentur, et calfierent, et ſic vim nocendi deperderẽt: aut igitur nõ nocebunt, aut leuem, et exilem, inſenſibilèmq; noxã inferent: ſed quid ſi frigidũ æenema infunderetur? Ad hoc dicimus, claram certãq; notitiam habebit quis piã, ex ægri relatione, qui de frigido ænemate conqueritur, & eſſet ſuſpectiſſimum: & poſt eius infuſionem, ſentiretur in inteſtinis frigiditas, & circa ipſa inteſtina, & eorum regionem, dolor vehemens, tormina, ventriculi frigiditas, cibi, & potus defectus: coma, uel ſopor apparet, corporis inmobilitas, aut piger motus: corporis frigiditas, reſpiratio pauca: vrinæ retentio, vel meiendi difficultas: & ſtoliditas etiam apparere poteſt: non pretermictatur, quin ingredientia ænemata prædicta non conſiderentur, cuius qualitatis erãt: an hæc ennarata ſymptomata cauſare poterãt, & hæc de frigidorum uenenorum dignotionæ, (quando cum ænema infunduntur) dicta ſint:

Si

Si autem calida fuerint venena, post clysteris infusionem, statim intestinorum morsus, ventris exacerbatio, ac dolorosa sensatio, & vehemens sentitur: aliquando ventris inflatio, nausea, uomitus, corporis, & faciei coloris mutatio videbitur: sudores in gula, & circa frontem frigidi, inquietitudo, labor, anxietas; crebra assellatio, suspiria, animi deliquium, frigidi sudores, frigent extrema, cruenta de iectio uidebitur, putrida, & grauè olens: aliquando colliquatiua, & quæ excernuntur venenosa sunt: circa sædem vlcera aderunt: cum erosione in intestinis, & in colore mutatione; & graueolentia: æger quasi animam agens per cubile mouetur, tegumenta substinere nequit: & in summo cor erodi, & animo deficere, & se mori æger sentiet.

An Vitrum, Adamas, Agatha smaragdus, & simila venenosa sint. Cap. 11.

V*Ltimò quid de Vitro, Adamante, Agatha, smaragdo, cæterisq; id genus similibus*

libus dicendum? Cùm maior uulgi in eruditi pars venenosa fore, mortèmque causare vociferat, & exclamat: cui opinioni breuissimis verbis satisfacimus: Atq; ipsa venenosa non esse cum Auicenna alijsq; in arte medica doctoribus affirmamus, & tanquam medicinalia sine periculo per os exhiberi posse decernimus: dummodo quòd intenuem pollinē redacta sint, nam grosso modo triturata, & sic per os exhibita, periculosa sunt: & periculum est, non quòd venenosa sunt, sed in eorum transitu, gulam, ventriculum, intestina incidant, & vlcerent: & nisi citò à corpore auferantur, tēporis progressu mortem inferunt: ipsàque dignosci licet, nam ægri corpusculà dura, pungitiua, frangibilia, in potionibus, uel cibis inter degluttiendum sentierunt: quia acuta partes per quas pertranseunt, vulnerant: cognoscuntur nam, cruenta vomitio, cruentàq; deiectio uidebitur: dolor in ventre & intestinis aderit: & in progressu temporis, corporis macies apparebit, ac

extenua-

extenuatio: nec pinguis, nec villosa excretio præcessit, nec acrium, salsorùmque fluxio (quæ in dysenterijs semper antecedunt) Et semper tum in intestinis, tum inuentriculo, ac in excretis rei absumptæ uestigium reperitur: & querantur cum attentione, quia certissimè apparebunt & videbuntur quæ à nobis iam dicta sunt.



ILLVSTRI DOMINO IOANNI ANTONIO PISANO

Medico ac philoſopho doctisſimo, & Hippocratis, ac Galeni in ſtudio Neapolitano publico interpreti acutisſimo, Iacobus Pudericus phyſicus Coſentinus ſalutem.

Quo modo ſpica nardus, in rabarbari uigoratione apponatur.

NARDVM ſpicam in rabarbari uigoratione, non alia de cauſa quidã apponendã eſſe cẽſuit niſi ad vrinam tantùm ciendã, et ad aluum ſtringendam: nouum hoc detegens portentum, è nauicula ſua ab Hætruſco, Græcòque mari, nuper ad hoc Parthenopæum lictus delatum: & quam uis in octauo de ſimplicium medicam: facult: capite de nardo hæc formalia ſcripſit Galenus? Nardus ſpica excal-

calfacit excessu primo, desiccat secundo iam completo, composita est exastringente sufficienter substantia: & acri, calida non multa, & quadam leuiter sub amara. Radix ad iecur, & stomachum rationabiliter conuenit; tum pota, tum extrinsecùs imposita. vrinam ciet, morsus stomachi sanat, inuentre, ac intestinis consistentes fluxiones desiccat: idem Dioscorides sentit: non per hoc uera erit sententia, ergo ad Vrinam ciendam rabarbaro miscetur, vt in sequẽtibus narrabimus: nec sõniata corretio, uires habet, quæ est? quòd medici, in cartulis, dispensationibusq; medicamentorum purgantium, deberent ponere, (quod non faciunt) dosim spicæ, pro rabarbari vigoratione oportunã; quòd enim uera non sit sententia, quòd ad urinam ciendam misceatur in rabarbaro, patet? primò ex inconuenientijs, quæ nascerẽtur, quæ, mea sententia duo sunt: primù? quod nullus ad salutem perueniret æger: secundum? sequeretur, quod illud, quòd re uera uidetur, et est

non

non esse: p quã enim uiã, suũ natura tentat motum, p illam euacuatio moliẽda est, eius ministro, naturæ sequenti uestigia: ut testatur ille venerãdus Cous in prima particula aphorismorũ cũ ait, quòd ea quæ ducere oportet, p loca cõferentia ducere conuenit. sùntq; conferentia loca, uẽter, intestina uessica, cutis uniuersa, et cætera: dato quod p uentrẽ natura euacuationẽ tẽtasset deuorato pharmaco, cũ spica, si urinã cieret, & ad talẽ effectũ apponeretur, proculdubio Naturæ motus impediretur: spica p urinã expurgans, ac urinã ciens, Natura p uentrem suam, tẽpore eodem, operationẽ complere sperans. Qua de re, uẽtris turbatio, humorũ agitatio, inquietitudo, ãxietas, suspiria, labor, febris augumentũ, dolores inflationes, uirtutis prostratio, de necessitate uiderentur: et tandẽ mors superueniret. re autẽ uera, uidẽtur, deuorato rabarbaro uigorato, statĩ p aluũ biliosa, ac spumosa excerni excrementa: ergo aliter ueritas se habet, quã quòd ad urinã ciẽdũ ponatur cũ rabarbaro, spica: semper enĩ medicus naturæ motũ debet animaduertere, ne ab

absũptione medicinarũ, naturæ motus impedire tur quia grauia orirẽtur mala: Naturæ motus à medico animaduertẽdus est: siquidẽ idonea fu erit inclinatio subministrari, et adiuuare, si au- tẽ cõtrariè, ac noxiè fiat prohibere, transferre, atq; diuertere oportet: sic enim refert, ac precipit Galenus in prima particula aphorismorũ in co mẽto 21. Authoritas enĩ octaui de simplici: me dicam: facult: nõ in cutæ, sed secundũ intrinseã medullæ partẽ considerãda uenit: et antequàm ipse, ad eius intelligentiã ueniã, multa ad ꝓposi tum notare decreui: Derelinquẽdo tẽporis cõside rationẽ, an æstiũ uel hyemale sit, nũ ꝑ intestina, uel ꝑ uomitũ euacuandũ erit, derelinquẽdo cor- poris qualitatẽ: an pharmaca accipere soleat, et circa ipsorũ usũ assuetũ, si tã pharmacũ abhor- reat, et timeat. si tardè uel cleriter ad euacuãdũ se habeat; notandũ tamẽ, ac cõsiderãdũ ꝓpono, ad topica remedia, sine precedẽti unirsali corpo- ris purgatione ac exquisita euacuatione, deue- ni re non est opus: in solis magnis morbis 1 de compopοsit: medic: per loca Cap. 10 intellige

que vniuersalis corporis purgatio nisi per priùs corpora fluida facta sint, fieri nullo pacto debet: tunc enim fluidum factum est corpus, quotiens, & quando, meatus sunt aperti, humores crassi attenuati, uiscidi incisi, lenti abstersi, tenues incrassati, id est à natura uicti, et superati: quibus uisis, & naturæ inclinatione perspecta, oportunè medicamento approximato, omnia ad bonum finem tendunt: intendit Natura se ipsam conseruare, & noxia expellere à corpore, per loca conferentia, quando fortis & potens est, incriticis diebus, suum complet, terminatq; opus: si contrario modo se habet, à medicamento purganti adiuta tamquā instrumento, in subsequenti die quietiori, & minus molesto, ipsam euacuationem molitur, & terminat. Natura nostra uerè euacuat Humores, & de foris expellit, non autem pharmaca: Et quam uis purgantia nuncupata sint, & dicantur, non quod re uera purgent intelligendum, est, idest quòd lubricum corpus reddant;

extràq;

extràq; corpus humores excernant, est enim hoc humani corporis naturæ opus: sed dicta sūt purgantia pharmaca ex accidenti, per se autē, et ex eorū natura, humorū tantùm attrahētia dicenda sunt: sic enim nos interpretamur, et tenendū esse iudicamus. Natura semper quic quid in ventriculū descendit, in ipsum agit, retinet, alterat, actuat, concoquit, si illud naturæ gratiā acquirere potest, et in aliti substantiā se in uerti illud retinet, et tandem partibus assimilat: si cōtrario autē modo se habet, tanquam alienum, quanto citiùs et omni conatu, illud à corpore, extra, expellere conatur: et procurat. ut inpharmaco facit, quia in substantiam aliti se inuerti non est possibile, illud tantùm natura attuat, & in minutissimas partes ipsum reddit; ad actu operandum producens. Quod postea, unà insimul cū attractis humoribus excernit: exquibus concludimus medicamentū omne purgans, deuoratum, aluum de necessitate mollire: quia naturæ molestū est, eiusque gratiam acquirere non po-

test: quo fit, ut à medicamento afflicta, et à causa morbifica irritata et vexata, quanto citiùs ea, à corpore, natura excernere procurat: et hoc facit per aluum. tũ quia uniuersalior, tum quia vicinior uia: magisq; expedita: et quamquã per aluum euacuat, non per hoc negandum uenit, quin per urinam, aliaque conferentia loca, (ut supra dictum noxia à corpore ipsa natura non excernat: nam per uomitum, aluum, vterũ, crassorum humorum fit euacuatio, seu excretio: Ad puntũ reuertendo quando Galenus nardum vrinã ciere dixit, nõ per hoc sequitur, nec ualet, ergo ad vrinam ciendũ in rabarbaro apponitur. spica enim ut talem causet operationẽ, (urinam ciere) in maiori, et notabili dosi, seu quantitate esse debet, nõ autẽ in exili quantitate ut in dragma una, uel scropulis quatuor rabarbari, dũ uigoratur, miscetur: ponitur enim granum unum, uel granum unũ cum dimidio ipsius spicæ in dragma una rabarbari: Amplius ut urinam ciet, cum alijs simplicibus, urinam ciẽ-

tibus

tibus est miscenda, nunquam enim in actu curatiuo, simplex approximatur auxilium languenti, benè complicatum, & mistũ cum aliijs: ut in curando fluxum, cum bolo armeno orientali, terra additur lemnia, spodium ustum, syrupus mirtinus, rosarũ in completarum, et alia huius qualitatis similia: et etiã uictus ratio, ad idem dirigitur. que talem uim habeat, restringendi silicet: sic in spica faciendum esse censeo, et si Galenus, spicam solam nominauit, dicimus, non per hoc Galenus exclusit, et negauit consortiũ diureticarũ sibi non esse admiscendum; in super est assumenda post uniuersalẽ corporis purgationẽ: et Natura talem inclinationẽ habẽte. utitur siquidẽ natura medicinis ipsis tamquã instrumento, ad noxios, sibique molestos humores per uiam accommodatiorem, euacuandos: & quam uis unam eligat, cæteras autem non excludit. Omnibus autem utitur: ad hoc ut ad suum perueniat finem. quamlibet noxij humoris partem, per uiciniora, accommodatiora loca

excernens: non ergo granum vnũ spicæ, uel cum dimidio, quod ad 3. 1. uel 3. 1 ½ rabarbari ponitur vrinam ciere potest; insuper Galenus ibi de radice ipsius spicæ loquitur non autẽ de spica ipsa qua utuntur medici in rabarbari uigoratione alio inquam iure, aliàque intentione in Raued spica apponitur: & cum rabarbarum ex mistis costat substantijs, ex terrestri, per quam adstringentem obtinet qualitatem, et ex ignea superficiali, ac cutanea: ratione suæ terrestreitatis, tardam faceret operationem: spica cum tenuioris substantiæ sit, magis improfundum, intùsque permeat, ac penetrat. rabarbari actionem & operationem accelerãs, tenuitate substantiæ suæ: Et ex hoc utilitatem exibens: simul introducens quidem secum, tum rabarbari; tum cæterarum confectionum mistarum uires. Quo circa ad iuuãt se mutuo rabarbarum & spica: Terrestreieate sua rabarbarum, uelut inpllens spicam, & cæteras confectiones, spica uerò, uelut dux precedens: Hinc bene do

ctus

ctus ille uir, et Aromatariorum magister Mesue dixit? Et non pretermictatur quin non cadat in sotietate sua spica: causam à Galeno, cæterìsque alijs doctoribus medicis assignandam relinquit; prout ad propositum huius rei, scripsit in sexto de composit: medicamentorum secundũ locos capite primo: Post quam de inflammatione loqutus est, quo modo à principio ad finẽ usq; sit procedendũ. in principio, pharmaca id quod influit repellentia commoda sunt, sic post principium ipsius, usque ad finem morbi pharmaco opus est, ex utrisq; misto: repellente uidelicet, et discutiente facultate predito: tandẽ deuenit inquiens? cæterum qui pharmacum ex succo mororũ composuit, parũ ex croco, et myrrha ei commiscuisse uidetur: quod comunẽ habeant facultatẽ: concoctoriam in flammationũ: priuatam uerò utrumque, crocus quidẽ quòd adstringat, myrrhà autem quòd calfaciat: intantum quòd valenter discutiat. penetrat autem magis in altum corporum myrrhà: quã crocus; ut pote substan-

ſtantiam tenuuium partium habens: atque ex hoc duplicem utilitatẽ exhibet, ſimul introducem ſecum uires admiſtrorũ: et perſanans uſq; in altum inſtãmata. et tandẽ adiuuant ſe mutuò crocus, et myrrhà, in penetrãdo in profundũ crocus velut impellens myrrham: Myrrha uero uelut dux præcedens, peditem ſequentẽ crocum (ſi ita dicere liceat) deducens: quemadmodum enim crocus ob abſtringẽdi uim, minus habet ſubſtantiam tenuium partium quam myrrha: ſic myrrhà ſubſtantia tenuiarum partiũ prædita, citiùs quidẽ uim ſuam in altum tranſmittit: citiùs autẽ ad cutim reccurrit: tali inquã de cauſa, non autẽ ad urinam ciendum, ſpica in rabarbaro apponitur, et miſcetur: ex quibus patet ſolutio ad dubitationem forte faciendam, ſi rabarbarum adſtringentẽ poſſidet facultatem, quomodo aluum mollit: in medicinis miſtum; ſua enim terreſtreitate in medicamento purgante poſito prodeſt, uires compoſitionum in pharmaco ingredientium impellens: quo fit

ut

ut ex inde exquisita fiat cum cõferentia euacuatio: valeat ergo noui militis opinio, quì cutaneè Galenum intelligit: in sententijs tanti uiri opus est, ut cõsulat ueteranos, et in arte Medica consumatos milites, ex quibus patet solutio quare spicæ dosis in medicinarũ Cartulis scripta non reperitur; modestiæ gratia hoc factum: credunt enim periti medici, peritos alloqui aromatarios: qui perbellè sciunt raubarbari uigorationem, et quomodo elambicatio, infusio, trituratio, mistio electio, et conseruatio, unguentorum, pillularũ, confectionum, oleorum, et ceterarum rerum fieri debet: Accipe illustris domine, quæ mihi in tali proposita re occurrunt, tibique in munus laborum passorum quando (me audiente) Hippocratem ac Galenũ interpretabaris: nunc offeruntur, si enim deo permittente uitam habuero, tractatum de peste tibi consecrare non grauabor. VALE Parthenope die 28. februarij 1588.

FINIS. VALE.

Imprimatur.
Flaminius Totcella Vic. Gen. Neap.

M. Philocalus Pharaldus Carmelita vidit.
Idem fol. 77.

NEAPOLI.
Apud Iosepum Cacchium.
M.D.LXXXVIII.





Lo-6-N= N. 3




IACOBI PVDERICI CONSENTINI,

DE LAPIDE FERREO AB AERE LAPSO.

De eius generatione, & causa.





SVPERIORVM PERMISSV.
Neapoli Apud Iosephum Cacchium. 1588.



ILLVSTRISS^MO^. ET EXC^MO^.
DOMINO DON IOANNI ASTVNICÆ COMITI MIRANDÆ, MARCHIONI LA BAGNESAE ET IN PRESENTI REGNO

Regię,& Catholicæ Maiestatis Vice Regi, Locumtenenti, & Capitaneo Generali.

Jacobus Pudericus Philosophus Cosentinus salutem.



VAM verissima, atque præclarissima est ueterum illa sententia, Illustrissime et eccellentissime princeps, quæ asserit, omnem animam subditam esse imperio, atque adeò omni sub-

dito ſuum ſuperiorem colendum, atque obſeruandum ſuſcipiendùmque fore: atque teneri de iure tam naturali, quam gentium & ciuili, in argumentum obedientiæ, et uenerationis ſignum munera illi offerre ipſe igitur cùm ſim, è ſubditis Sacræ et Catholicæ Maieſtatis vnus, licet omnium minimus, etiam hæc adimplere atque præſtare coactus ſum. Nam cùm mihi, benignior fortuna, pulcherrimam philoſophãdi occaſionem porrexerit, vt debito à me ſatis fieret, libenter illam amplexus ſum. Anno Chriſtianæ atq; adeò noſtræ religionis 1582. è coelo àereue cæcidit ferreus quidam lapis propè oppidum Caſtrouillarum Prouintiæ Calabriæ Citrà, qui cunctis (vt par eſt) admirationi fuit; mihi verò anſam con

tem-

templandi et philosophandi præbuit. Occoepi igitur eius generationis modũ atque caussas, quæ et quot fuerint, tũ etiam quonam in loco huius elementaris regionis gigni potuit, diligenti indagine excutere, & examinare. Tandem non absque plurimo labore, et olei consumptione, ueritatẽ fortasse attigisse mihi uidere videor. Vt cunq; tamen sit in rebus magnis (qualis est huius lapidis generatio) saltem non prorsus aliqua pœnitenda dixisse, sat erit. Quare hosce labores meos, ceu post multa maris pericula uotiuas tabulas eccellentiæ tuæ Sacræ & Catholicæ Maiestatis locumtenẽti in hoc Parthenopæo Regno, insignum seruitutis meæ dedicare volui. Nec tibi labor hic meus ingratus (vt spero erit. Es enim

 bono-

bonorum animi, potius quam corporis amator, iustitiæ uerissimum specimen malorum osor, & (vt decet) castigator, Bonorum verò tutamen et præsidium. Meritò igitur cùm tã præclarissimis animi bonis, nempe prudentia, pietate, iustitia, & integritate ornatus sis, atque etiam quàm nobilissimo genere ortus, summis honoribus affectus es: et ad summas dignitates meritissimè euectus, et posthac ad filiciorem et ampliorem gradum ascensurus videris. Et quidem optimæ prouidentiæ, ac solertissimæ curæ, atque vigilantiæ, quàm iustissimè administratæ iustitiæ testis est locupletissimus, uniuersũ hoc Regnum Neapolis, atque hoc mare nostrum, quod anteà quidem ab impetuoso flatu, procellosaque tempestate adèo

tur-

turbatum fremebundumque redditũ ac ferè adeo aridum factum, ut pisces suos alere non poterat: & propterea morti proximi cunctis præbebant moleſtam animi pœnam: At mox ut tu huc accesſiſti illicò ſuauis roridàque aura expirauit, et cuncta ſeminecia uiuifi-cauit. Fluctuantisſimum verò mare tranquillum, quietùmque reddidiſti piſceſque ſuos famellicos ſaturaſti, tu malos raptorèſque fugaſti, bonos tutos feciſti, confuſa ſegregaſti, & cuncta in ordinem poſuiſti: unum quemque ad propriam vite ſuæ inſtituti operationẽ exercendum excitaſti, & ut uno uerbo dicam Hanc noſtram cœli machinam ſerenam feciſti. O, Diuinum, atque præclarum opus: et unde mihi tot uires aderunt, ut tuas meritas laudes nu-

merare, ac narrare possim? quis enim erit profectò animi tui magnitudinem considerans atque prestantiam, ut non admiretur? nemo certè: merito igitur COMES DE MIRANDA nuncuparis: nam qui te corporeis oculis cernunt, cum & intellectus etiam ocellis te contemplantur, ipsis continuò admirationem paris: quocirca munusculum hoc meum hilari animo accipe: et me in tuorum seruorum numerum asserere ne recuses: quòd si hoc facere dignaberis è maledicentiũ iaculis me tutum reddes: & ad trattatum de peste in lucem edendum me excitabis. Vale Neapoli die primo Ianuari. 1588.

AD

AD EVNDEM ILLVSTRISS. ET ECCELLENTISS. DOMINVM PROREGEM

IDEM IACOBVS PVDERICVS.

EXERE iam tacitis recanora uoce sepulcris
 Partenope os nitidum, plectràq; sumæ liræ
Atq; tuo Domino, *fidibus*, cane grata, sonoris:
 Dulichio quondam, quæ canis alma Duci.
Ecce tibi, geminæ namq; adsunt sponte sorores
 illius ut laudes, inclita gesta canant.
PRINCIPIS hæc gaudet summã celebrare uerẽdi
 Iustitiam, hæcq; pii corda benigna patris
*Hæ*c regat ut miro populos moderamine magnos
 Prouida cura ducis tollere ad astra uolet.
Paciferæ hæc cereris nostro sub tempore laudat
 *M*unera, & ut cornu copia plena beet:
Hæc stupet ut legum sapienti pectore nodos
 Implicitos soluat, Magnus ut ille Solon:
Ast tu *PARTENOPE* felix maiore boatu
 Assurge, & mirum pectore funde melos:
Quod tibi iam redeant illo sub *Principe* tandem
 Aurea falciferi secula prisca senis.

ILLV-

ILLVSTRI DOMINO IOANNI BENARDINO LONGO.

Comiti palatino, Medico, ac philosofo præclarissimo, & palam in studio Neapolitano veterano Aristotelis interpreti eximio, & in hoc Regno Regio Prothomedico.

Iacobus pudericus Consentinus salutem.

QVANTO desiderio iam diu flagrauerim, illustris domine, aliquid inueniendi, quo meum tibi deuotum animum ostenderem, hinc existimare potes: quòd licet rei familiaris negotijs occupatissimus: quàm primùm tamen lapis ferreus ex oppido castrouillarum (cuius inagrum è coelo cecidit) Cosentiam delatus est, certum e uistigio mihi fuit, ut unde idem ortus esset, quorsùmque tenderet exquirerem, Ac te inprimis consulerem: Et

Et Meritò quidem cum de re mete reologica trattatio sit, tibi etiam ueterano, & fido Aristotelis interpreti hoc meum opusculum, qualecumque sit offero. Tu enim maximè hisce de rebus iudicare potes, qui salutem animi habes; quam non nisi virtutem esse in quarto de consolatione philosophica Bœtius testatur: Accipe igitur hilari vultu hasce meas primitias, & præcoces fructus, & licet acerbi sint, illos tamen fulgenti, & ameno tuæ doctrinæ calore concoque et matura: et quoniã illustriß. & eccellentiß. Domino huius Regni Pro regi hoc meũ opusculũ Dedicaui, cũ tu in palatio cõtinuus sis comes, si aliqua in eo inpropriè dubiæq; dicta, scriptaq: offenderis, illa, tua doctrina et ornes et explanes, defectumq; uiriũ mearũ suppleas etiã atq; etiam rogo. Sic enim Illustriß. Domino Pro Regi animũ quietũ ac per doctum reddes: mihi uerò sic opẽ ferendo qui te ipsum in almo gimnasio Neapolitano Diu ascultãdo sectatus sũ: cæteros admaiora Doctioràq; faciẽdũ erigere facies.

Hinc

Hinc noua qui cupiunt alti miracula cæl
Si legerint, poterũt discere multa breui
Naturę facta excellunt longo ordine rerũ
Æthereo en lapsus ferreus orbe lapis.

LIBELLI PROSOPOPOE-ia Ad Lectorem Satyricum.

QVID hoc rei est, Peregrine Lector, quòd ad me, quassanti capitè, deri-denti oræ, nasòq; tã grandes renchos trahente, te confers? Sinistra manu fortiter me tenes, & angis: Dextera uerò, uelocissimo cursu me uoluis. Quin siste gradum, depone prius omnem animi nebulam, ac candidus pe-detentim, & acri indagine me lege. Intelle-ctùmque tuum abstrahe ab liuoris fæcibus, & sursum eleues, ac subtiliter contemplare: nam de subtili redoctàque ago. De Lapide in-quam ferreo cælitùs elapso Hunc igitur lapidẽ tot iniurijs tantisque afficias, caue. Poterit enim

suas

suas contumelias vlcisci, & è coelo iterum cadere, & tibi conterere caput. Quòd si aliqua contineo, quæ ad tuum non faciunt stomachum non vulgi more in quadriuijs, & angulis Vrbis de me susurres, sed de ijs quæ contra me sentis, uel scripto, uel coram me certiorem reddas equidem mihi erũt in Promptu mille responsiones, Ad inpugnationes tuas. Soluàmque omnes dubitationes si vita suppetit: sin secus. Fortasse alquis è doctorum coetu erit, qui omni malignitate carens, & negotij difficultatem considerans (à nemine enim huccusque tracta hec res est) pro me tibi respondebit.

AD AVTHOREM.

Dũ Sophiæ, Æthereis raptus super aera pennis
Scrutaris cæcos LAPIDIS mirabilis ortus,
Non tibi mortales pario de marmore ponent
Mille locis statuas, altosq; ad astra colossos
Æternos statuet sed fama perẽnis honores
Ibis in ore uirũ, nomenq; æquabitur orbi.

Bartholomeus Persicus.

Plinij

LVI.

PLINII *senioris, mundanæ historiæ libro secundo, Capite octauo supra quinquagesimum, uerba sunt hæc: Relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse M. Acilio C. Portio Coss. Et sæpe alias carne, sicut L. Volumnio, Seruio sulpitio Coss. exq; ea non per putruiße, quod non dirripuissent aues. Item ferro in lucanis, anno antequam M. Crassus à parthis interemptus esset, omnesque cum eo lucani Milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. effigies, quæ pluerat, spongiarum ferè similis fuit Aruspices præmonuerunt; cauenda esse superna vulnera. Lutio autem Paulo, C. Marcello Coss. lana pluit Circa Castellum Carissanum, iuxta quod post annum T. Annius Milo occisus est. Eodem causam dicente, lateribus coctis pluisse, in eius anni acta relatum est. Hactenus Plinius, exquo manifestè uidere est, neq; primum, neq; nouū esse id quod nostra tempestate homines admirātur, elapsum nempe cœlitùs ferreum lapidem*

in oppidum Castrouillarum, quod in Brutijs est, olim uerò in lucanis. Cuius lapidis generationis expiscandæ gratia, aliquot probatorum scriptorum opiniones ponā, postremò uerò quid ipse sentiam enucelabo. Ac primus omnium, mihi occurrit Solufrensis ille, uir quidem eruditus, in libello, cui scalæ Naturali titulus est, qui licet uernacula lingua nēpe Italica scriptus fuerit est tamen et Doctus, et non penitēdus labor, is igitur ait quòd, Cùm à materia aquæ, solis calore, a quosum humidum, terrestreq; siccū desuper trahatur, & ut duæ hæ partes secum miscentur, planetarum influxu concurrente, varia Monstra oriripossе, uarios sapores, colores, odores præseferentia, uariàsq; figuras obsituum diuersitatem in quo reperiūtur habentia, & cum quibus miscentur uarias imagines demostrantia: Et nil aliud præsagire (cùm effectus Martis, & Mercuri sint) nisi bellorum contentiones: quæ & si partim vera sit, nihilominus ipsius sententia in uniuersum veritatem non attingit: quoniam ità rarenter nones-

ſet viſus, immo talis aſpectus ſæpe apparuiſſet. probatur enim, quotieſcunque materia non deeſt, attrahentis uirtus uniformiter ſe habet, locus non repugnans, & in planetis inpedimentum nullum reperitur, De necesſitate ſequeretur, quòd ſæpe talis effectus ortus eſſet, & ab hominibus uiſus. Terra ſiquidem & aqua cum ſuis mineris ad patiendum ſemper prōpta Sol ſecundum tēpora uniformiter ſemper agens uapores exhalationèſq; deſuper mandans, Aer ad delatas exalationes, & uapores recipiendum numquam repugnans: hinc pluuiæ, grandines, tonitrua, Capræ ſaltantes, ſtellæ cadentes, & ſimilia uidentur, Et quòd in planetis nullum reperiatur impedimentum patet: quotiens planeta ſuam propriam operationem, & curſum perficit, & complet, repugnantiam nullam, nullàmque contradictionem in eo, uel defectum inuenire licet: igitur uiſiones huiuſcemodi ferreæ ſæpe apparuiſſent Nec ualet ſi quis ex materia terreſtri ſicca, Miſta cum aquea eius

gene-

generationem esse dicat, quia sequeretur, quòd omnis terra, & aqua, ferrum producerent. Quomodo generatur? Secundum maiorem philosophorum cumulum dicitur, ex materia terrestri sicca, aquea & humida minerali materia generari, quæ de facili in ferri naturam trãsire ualeat; & quam uis uir ille mineralem materiam pretermisit, poterit tamen Dictum illius saluari, id quod nos diximus, ipse modestiæ gratia prætermisit: explicitè narrare noluit, implicitè tamen intelligens, atque concludens: ac si diceret, terrestre siccum potentia minerale. Non generatur ex fuligine, seu fumo eleuato ab igne in terris accenso, ut quis dicere ausus est: motus ex nigredine superficiali talis lapidis, (qui re uera deforis tantùm nigri coloris erat) siquidem quod à subiettare accensa eleuatur, aridissimum sine humore est, si fuligo eius materialis causa esset, talis dictæ qualitatis utique esset, & inconsequentiam ueniret, quod liquabile quoddam corpus non posset fieri;

immo triturabile, vel potius frangibile, vt exemplo patet in accensis fornacibus ignitisque montibus experitur: igitur ex fuligine ortum non habuit, quia compactionem, non permictit: Nec obstat si quis fuligines in camino ardentis ignis saxeitatem ac indurationem accipere uidit: dictùmque nostrum ex hoc uerum esse negabit: alio enim modo se habet ferri generatio in aere, quàm fuliginis in Caminis ardentibus: nam compactioni talis fuliginis, in dictis locis, noctis frigiditatem, aeris humiditatem, loci angustiam, incontinuum ardorem, pluuiosa tempora, quæ omnia opportunè concurrentia multùm auxiliari nemo inficias ibit: insupremis autem aeris partibus, ultra quòd hæc non inueniuntur, nec adesse possunt; insuper diuersissimus est fuliginis, & præenarrati Ferrei Lapidis ortus, illa partium appositione parietibus alligata, & affixa, per notabilia temporis interualla augetur donec augmentum acquirat: ferrum in aere il-

licò generatur, statimque decidit, quia peregrinam materiam aer & ignis infernè impellunt: Vnumquodque elementum, in sui totalitate conseruationem procurans, & optans: Nec valet vt quis opinabatur, excorpusculis quamnis minimis actu ferreis generari: sursum delatis à flammis hoc verum esse non potest: posito enim quòd ex terra ignis potentia in altum eleuarentur, in aerem multum ascendere non possent, sursum enim uiolentus est motus eorum: in terram reuerterentur illicò, ac aliunde ceciderent, ubi spirantes flatus ipsa transportauerint: uel per pendicularem tenderent. Nec in altum moram trahere possent, ut compactionē acquirendo, formam prædicti lapidis susciperent, quoniam grauitant, & coacta essent descendere, & in naturalem locum reuertere. si cineris quamuis minima portiuncula tandiu in superam partem ascendere potest, quandiu flammæ potentia non eneruabitur, sed tandem in terram reuertitur, in aere uel per quam exili

tempore stare non potens, quanto magis ferri portiuncula, quæ magis crassitiem, & pondus continet, supra ascendere, ac ibi per breuissimũ temporis spatium firmari nequibit? Nec flamma, corpuscula dicta, in illam aeris partem, igni uicinam conducere posset, tum quia flatus ipsam extinguit, tum quia ab illa frigida aeris regione sine dubio corrumpitur, hinc illico descenderent, tempus vt generari possit ex eis dictus lapis non habentes, nec locum: Nec à ventorum inpetu sursum raptus est, qui postmodum in terram descendit (ut doctorum opinio reperitur) nam inpossibile uidetur, & ab hominibus licet annosissimis numquã visum est, nedum ferreum, sed nec lapideum sursum raptum fuisse: si minima leuisq; palea à quo uis impetu ventorum in altum ascendere non potest, nec sensuum notitiam aufugere quin tandem in alium locum, & in illo tempore decidat, si lapis ille ferreus simili modo raptus fuisset, in illa die, durante tali tempestate de-

scen-

ſcendiſſet: uiſaq; eſſet aeris turbatio: ſed lapis hic, abſque flatu, ſereno cœlo, aeriſq; nulla exiſtente turbatione lapſus fuit; igitur à uentorum impetu ſurſum raptus non eſt: inſuper ſi à uentorum impetu ſurſum raptus deſcenderet, ſimpliciter cecideret, non ut iſte, qui, cum ignita, & coadunta flamma, cum impetu horribili lapſus eſt: teſtimonium nobis porrigens, in tertia aeris regione generationem, eiuſque ortum fuiſſe, ingni uicinam: qui Vnà inſimul cum accenſis exalationibus infernè cum impetu detruſus eſt. Nec ualet ut aliqui dixerunt, quòd ex accẽſo igne in uiſceribus terræ, eomodo quo bombarda ſurſum plumbeam, uel æneam pilam mittit, ſic iſte lapis tranſmiſſus fuerit: nam ſine dubio ſtrepitus maximus, flamma, & fumus euidenter, ex terra eleuari uiſus fuiſſet: aſpectus, ueſtigiùmque voraginis relictus eſſet, & appareret: De quibus omnibus (vbi adeſſent) certiores redditi eſſemus: quod vſque ad hoc tempus relatum non eſt quamuis ſom-

miatum sit: Alio igitur inquam modo, sui generationis modus inuestigandus venit; non partium appositione, quia partes sursum, donec totale augmentum acquisiuissent, manere erat inpossibile: si minima aquæ gutta, ex ipso met aere genita, ibi retardari non potest, quia grauior aere, ob frigidam qualitatem quam acquisiuit, calidam deperdens: datur enim mutua ælementorum generatio, hinc generatio vnius, alterius corruptio; quanto magis ferrum licet exile, cum grauitet magis, velociter descenderet in centrum? non ergo actu tale sursum raptum, rationibus quibus supra: non ex fuligine, quia triturabile, non autem liquabile corpus fieret: vt re vera talis ferreus lapis erat: & fluxilis reddebatur, quia materia sua aquea erat, non denudata tamen à terrestri sicca minerali: vnumquodque compositum in illis met partibus resoluitur, ex quibus compositum fuit: generatus ergo fuit in aere (illico tamen) ex vapo-

ribus

ribus siccis, exhalationibusque mineralibus: & quamuis quelibet rei naturalis generatio, naturalisque effectus productio illico non fiat, bene in materia disposita, & exconsequenti in tempore, nam dum materia disponitur, tempus requirit: Non tamen per hoc, dictum nostrum uerum non erit, si illico generari diximus, nam ly, illico, intelligimus ut tempus continet, & includit, non autem quod penitus, ipsum excludat: illico, ut temporis breuissimum spatium includit intelligimus: diximus sic, ad demostrandum, per incomprehensibile tempus, temporisque momentum, eius ortum, generationemque esse: à sensibus re uera incognita, ipsorum notitiam sensatam aufugiens, licet tamen antequam forma introducatur, in ipsis siccis uaporibus, tenuissimisque exalationibus, alteratio præcessit: quæ, talem in altum alterationem receperunt, quo fit, ut materia disposita, & dimensionata facti sunt: atque euaserunt, ad talem formam ferream minera-

lem recipiendam: exile tamen, breuèq; tempus in tali alteratione præcessit, positumq; est: sufficiens tantùm, quòd potuissent in altum alterari, & in ferrum conuerti: Ac ibi donec descenderet (licet exile, angustùmq; tempus sit) morã trahere possit: quomodo ergo generatur? Iam ad Propriam descendo opinionem, aures erigito queso quisquis es, qui hæc nostra legis: breuibus enim uerbis ipse finem faciam: Ante omnia distinctionem præponens: quosdam puros esse naturales effectus, quosdam diuinos: naturales puri effectus in ordinario eorum loco generantur; in terra plantæ, animalia, uegetabilia: in fornacibus aurum, argentum, pilæ naturaliter funduntur ac liquantur, non autem in aere: ergo lapis hic ferreus non purus naturalis effectus erit: non purus naturalis, quia quæ naturalia sunt, saltem sæpe, si non semper oculis cernuntur. Lapidis ferrei casus non solùm sæpe, immò semel tantùm in hac nostra hora apparuit: Naturales purì effectus

cum

cum ordine statuto, ab elementis, & opifice particulari fiunt: Metereologica in altum generari, indièsque apud nos esse, & in ipsis sta bilis ordo, firmùsque stat, & non alibi genera ri possunt, ut trabes igniti, dadi, faces accense lactea uia: ferrum in fornace, cum ualido igne minerali terra, particulari fabro, & forma particulari illius quod generari debet: ut orbicularis si pila, uel alterius formæ, secundum quòd generabile generændum erit; quæ & si in aere aliqua adesse possunt, omnia tamen repperiri est inpossibile; quc circa lapis hic ferreus naturalis non erit: quidam sunt diuini effectus quorum duos tamtùm in presentiarum narrare intendimus, Mundi nempe, & animarũ creationem: qui duo effectus, deo tamtùm, & non alteri ab ipso competunt, nec competere pos sunt: hinc lapis iste Diuinus non erit. quidam sunt cœlestes, ælementalèsque effectus, nõ quod ipsorum prima causa, causa non sit: quæ verè fons, & principium cunctarum rerum, ac

entium

entium eſt: ſed quia cœlorum conſtitutione fiunt: vt prouintiæ dilluuium, partis, regioniſq; incendium: qui lapis ferreus cœleſtis non erit; Nec ab imaginarijs falſiſque cauſis productus, cum verus, & Realis effectus eſt: nec artificialis effectus, cum in ſui factione particulare deficiat agens: particularis forma. erit igitur naturalis elementalis, non purus tamen naturalis effectus: quia ſemper, uel ſaltem ſæpe nobiſcum apparuiſſet, ac adeſſet, nec incontrarium obſtare credimus ſi diceretur: ex defectu materiæ generari non potuit, nam vt ſupra diximus nunc quererem, quomodo nunc materia adeſt, & per prius, non: cum ſol, terra cum ſuis mineris, ad agendum ille, hæc ad patiendum vniformiter ſe habeant: aer ad recipiendum exalationes, non repugnans: non ratione agentis, nam quererem à quo inpediebatur per prius, nunc uerò ad actum agendi deductum fuit: ſi nunc genitus? quia nunc primæ cauſæ viſum fuit, intentum habeo: erit igitur naturalis

ralis elementalis, non tamen purus effectus: tum quia in sui factione meliorem modum, & naturam sortitus est, pulcram alchimiæ formam representabat: Naturalis, quia eius materia aquea, terrestris sicca, mineralis erat: non purus naturalis, cùm in sui generatione, primam causam concursisse patet, non tamen sine Medio; benè secundis mediantibus, quibus, quæ sub se sunt, quæ generantur, generari, & fieri permittit: (quando propriæ secundarum causarum uires sufficiunt, eas operare permittit: cum deficiunt, debilèsque sunt, ipsas coadiuuando, uigorando, ac defectum omnem ipsarum supplens, ut talem effectum producant, secundum ordinem ipsis datum, nouū respectu nostri, ac ignotum, imperat: sic in casu prænentionati ferrei lapidis dicendum esse puto: similiter agit in vniuersali prouintiæ, uel loci conflagratione, et incendio. Secundū ordinem ipsis datū, roboratis cælo et elemētis, ipsorumq; uires; & posse adaugens, vt talem effectum

causent

causent, imperat. sine quo nec cælum, nec elementa ordinario eorum posse, proprijsq; viribus facerent, facerèque possent: quo circa ab elementis fieri (prima tamen causa concurrente) tenemus: quam primam causam de animatis, in animantibùsque entibus curam habere firmamus: Ac ad omnem actum, non autem ad actus diformitatem concurrere statuimus; & sic tunc apparuit; & non prius, quia tunc robur ipsis concessum vt operarentur, statuit: Modus suæ generationis, si per canones naturalis philosophiæ procedere quisque velit, de facili patebit; in primo enim de naturali auditu canon adest, ex notioribus nobis, ad notiora naturæ, nobis autem ignota procedendum esse: quoniam quæ sensu patent, ijs ratio nulla contradicit, immo coadiuuat, & confirmat: hinc famosum illud Aristotelis Dictum adest, qui sensum dimmictit, rationem querens, infirmitate intellectus laborat: igitur uia sensus procedendo, alium modum in generatione lapidis

ferrei

ferrei in aere, fuisse, quam si interra generaretur inuenire licet: in terra duplici pacto lapides generantur, uno modo ex frigore nimio, quod non solum limum, sed aquam etiam congelat, triturabilemq; seu frangibilem reddit; alio modo ex nimio calore, omnem humiditatem exiccante, ut laterum generatio confirmat: in fornace exausta penitus eorum humiditate, quod remanet terrestre est: sed lapis hic ferreus, non à calore tamtum, nec à frigore tamtum generatur: sed diuersimodè, frigido, ac calido concurrentibus: & diuerso modo quàm ferrum in terra, lapis hic ferrus in aere fit: in hac infima mundi parte, figuratum aliquod quando generatur, requiritur ut mineralis terra à calore liquefiat, segregetur purior, ab excrementitia parte quæ ferrugo nuncupatur: fluxilisq; facta in uase figurato reponatur, à frigore demum condensata, ac indurata, figuratum ferreum talis formæ fit: opifice particulari concurrente, quod oportunè subministret ignem, & mate-

riam

riam liquatam, fluxilèmque redditam in uaſe ſtabilitæ figuræ reponere curã habeat: in ſuprema uerò aeris parte, ultra quod hæc nõ ſunt, nec eſſe poſſũt liquatur ergo exhalationis uaporiſq; ſicci illa unita pars, à ſolis, igniſq; calore, quæ à frigore Aeris demũ condenſata ac indurata, ſecundũ ordinem à prima cauſa elementis datũ, à qua proprijs elementorũ uiribus auctis, ſecundũ talem formam, dictus ferreus lapis generatus, et ortus fuit: defectum omnem elementorũ ſupplens ipſa cauſarum prima: cœlũ enim, nec elementa talẽ formã, qualem lapis ille ferreus habebat dare nõ poterant. quia ipſa nõ habebãt. et nemo quod non habet, dare poteſt: ſunt cœlũ & ælementa ſfericæ figuræ: nec in nubium cauitate, talem formam accipere poterat; quoniam nubes talem denſam, grauemque materiam per quam exite tempus retinere non ualebant: Nec à caſu nã conſiderãti, in animũ eius ſtare nõ poteſt quod ibi retineri potuit, illico genitus decidit deorſũ: illico tamẽ intelligẽdo tẽpus

in-

includẽs angustũ, eo modo quo Galenus intellexit, tũ in prima particula aphor: tũ in libro de totius morbi tẽporibus, quãdo in illis, in quibus caput obtruncabatur, quatuor adesse tempora posuit: principiũ, silicet augumentum, statũ, et declinationẽ, et notabiliter, ac sensata notitia unũ tantũ uidetur: sed tria angusta sunt, contẽplabilia potius. Quòd enim multa sunt in rerum natura admirabilem producentia operationẽ, et non alio modo, nisi secundũ ordinẽ ipsis à prima causa concessũ patet: si adea quæ dico attenditis; et mentem erigitis: Nos enim per cãpum naturalis philosophiæ, ac doctissimorum scriptorũ, inuenimus quòd ĩ Comagena Siriæ parte supra Ciciliã excurrente vsq; in mesopotamiam, à qua Euphrate fluuio derimitur Samosatta vrbs est, Luciani Sophistæ patria, stagnũ habẽs limum quendã gignens, quã malthã ibi appellant, cuius tam admirabilis est natura ut aqua accẽdatur, nec nisi terra extinguatur: quo limo Samosathæi Vrbẽ suã locullo oppugnãte defen

derunt: hostes unà cum armis exurentes: in licia ephesti Montes sunt, qui Deda contacti tantùm ardent, ut lapides et arenam riuorum sub aquis comburant: in Campis Saletinis, ubi inpræsentiarum Caput Hidruntium uocatur, Antiquitùs Terra ægnatia erat, Ciuitati Monopoli proxima in qua saxum aderat, quòd ligna sibi approximata illicò comburebat: & multa huius generis infinita, tum à Plinio tradita, tum à Cicerone in libro secundo de natura Deorum narrata: quarum rerum operationes considerando, quæ ab alijs similibus rebus naturalibus non fiunt, quis aliter dicere posset, quàm Vt ipse dixi? silicet auctis uiribus & posse secundarum causarum, secundum ordinem ipsis concessum, tandem prædictas operationes producunt: quas ex se producere non ualerent; Quis enim ordinem dare potest? nisi ordinis Causa? & hæc non nisi prima causa: & si naturales, in natura mirum ordinem esse dicant, ipsam prudenti patri familias assimiliando, ut

in

in secundo de generatione animalium Capite quarto reperitur: prudens enim Pater familias nihil admittere solet ex quo facere aliquid commodi possit; Dispensatur in cura rei familiaris ita, ut cibus optimus filijs, deterior seruis, vilissimus sotijs animalibus detur: simili modo cum corde, cerebro, & hepatè, Deinde cum neruis, musculis, ossibus, & similibus, vltimo cum Cute, & Capillis, Natura se habet: hinc eorum quæ natura costant, nihil inordinatum reperitur; Cuncta autem Coordinata quodam modo sunt, non tamen simili modo, Planetæ, natantia, et volatilia ordinem unum habent; sed vnumquodque ingenere suo: Ordinem in animalibus magis quam in vegetabilibus esse Maurus ille Auerroes in secundo de naturali auditu ottuagesimo tertio, & in duodecimo diuinorum posteris scribsit: & alibi inquit, omnia quæ sub primo principio sunt, æqualiter ordinem non habere ait. quædam perfectum ordinem habent, ideſt secundum dignio-

rem modum, vt corpora cælica quam elementa, duodecimo methaphisicorum 52. & 44. ordo ratus, certùsque status longè magis patet in corporibus, cælestibusque rebus, quam in nobis, Vt Aristoteles in primo de Partibus capite primo testatur: Menbra sine ordine non oriuntur: sed primum hoc, deinde illud, & sic in hunc modum, omnia quæ natura costant disponuntur: fieri autem primò principium, quod in sanguineo genere cor est, quod non solũ sensu percipitur, sed etiam quod per obitum, uita hic vltimò deficit, si igitur habentia naturam mirum ordinem habere dixerunt, illum, ab illa natura habuisse tenendum quæ uere causa ordinis est: et hæc non nisi prima causa erit natura inferior, cum materia, & forma sit, ordinem non habent: indoctè & sine consideratione agunt: sunt insuper uariabiles vnum statum non seruant: formam hominis relinquendo, cadaueris, & Demum vermis formam acquirũt: Ordo æternus, stabilis, inuariabilis, et

vniformis est, ergo à causa æterna, vniformi & inuariabili prouenit: quæ, natura naturans erit, quæ uerè causa ordinis est: et à qua cuncta ordinem habent, noluimus illorum opinionem narrare, dicentium? ab habentibus naturam, ordinem pro uenire, quia nullius roboris illam esse iudicauimus: si quidem habentia naturam composita sunt, quorum compositionem ordo præcedit: igitur à prima causa ordo prouenit. quis enim animalia considerans, quæ cor calidissimum in medium, cerebrũ frigidissimum supra situatum habent: ossibus vndique contecta: ælementa grauia deorsum, tenuia, leuiaque sursum locum habere: Anni tempora quod inuariabiliter se consequantur, sol nunc à nobis distans, nunc nobiscum adest, suo recessu hyemẽ, accessu uero æstatẽ apportans fructuum florum, herbarumq; ac similium generationem causans: Planetæ in suo determinato tempore, quod suum cursum compleant, nobilissimum ipsorum cælo stellato

ignobilissimum nobiliori ælemento vicinum esse, querenti licet inuenire: Vniuersum tot varijs pulcritudinibus ornatum: quis ergo hunc ordinem considerans, à prima tamtùm causa hec prouenire neget: et Vni secundũ unũ, alteri secundũ alterũ operãdi modum, à prima causa concessum esse non teneat? hinc si alter in cœlestibus ordo, alter in inferioribus sit: alias operationes cœlestia ab elemẽtis, diuersas elemẽta ab elementatis diuersas animata à uegetabilibus habeant, necesse est: et ordine fiunt, mirũ esse nõ debet, si secundũ ordinẽ à prima causa cœlo, et ælementis datum, ipsorum uiribus auctis, Vt ab illis talis ferreus lapis generetur, generarique valuit. Sola prima causa et non plures ordinem causant? frustra siquidem essent alie, cum prima sola sufficiat: Quẽ lapidem ferreum portentum esse diximus, & nominauimus: Portentum siquidem est, mostrum rarissimè visum: ac in nostra tempestate insolitum, solum doctis considerandum venit: quis enim ex nostris

ſtris parentibus ferreum corpus triginta trium librarum ponderis ab aere in terram deſcendere vidit? Nemo Certè, cum quibuſdam proceſſibus in parte ſuperiori, ad Citri formam, in meridie decidens: Cœlo exiſtente ſereno. Sed ne quis nos abſentes, rabido dente mordeat, Theologicum potius, quàm naturale dictum noſtrũ eſſe dicens: motus ab illa hæreſi falsàque naturalium ſententia, quæ dicit? ſi prima cauſa de his inferioribus, caducis, & morti ſubditis Curam haberet vileſceret, et ſic primam Cauſam in horum inferiorum generatione, eo modo quo nos ſupra diximus concurrere negat: Nos illi reſpondentes, diſcurſu priuatum eſſe demoſtrabimus. per hanc mundi machinam diſcurrentes, ut philoſophi, & uia nobis innata procedendo, nullius doctrinæ antiquorum addicti, niſi ueritati, dictum noſtrum verum eſſe reperimus: primàmque cauſam de his inferioribus curam habere, vt eſt vniuerſalisſima prima, & potentisſima cauſa, & eminẽtiori mo-

do : & tanto magis, quando secundas causas, ad aliquod generabile causandum, debiles, & inpotentes eas iudicat: tunc ipsarum vires augens ordinem ipsis imperat, omnèmque defectum supplet: patet igitur si Socratis generationem consideremus, quam sine mare, & femina fieri est inpossibile, & sensus non inuenit: qui ab alijs, & alij ab alijs fiunt; & ne proceßus in infinitum daretur, ad primum hominem deuenire est necessarium: non tamen ab alio homine factum. qui non æternus, quia posteri, eiùsque successores, corruptibiles non essent, verum quia corporeus, hinc compositus, omne corpus compositionem includit: corruptus secundum partem materialem tantùm, in terram conuertitur, ergo ex ea, eius generatio fuit: quod, sensus non uidet, vt terra carnem generet, licet via sensuum procedendo, ad illud nos ducit: vnum quodque ad illa resoluitur, ex quibus constat: hinc antiqui, causam huius assignare nescien-

tes

tes, ad primum hominem deuenire non est, sed ipsum præsupponere oportere dicebant: non curantes quia obscurum, insolutum, & anceps relinquebatur quesitum: Nos autem intimiùs considerantes, primum hominem secundum materialem partem, ex terra, factum fuisse inuenimus, quia resolutus in terram conuertitur: viribus terræ, & ælementorum auctis, secundum ordinem ipsis concessum à prima causa, quæ defectum omnem ipsorum supplens iussit, ex ea primum hominem componi: qui naturalis effectus est, non tamen purus, non enim ex solis tantum secundis causis factus, sed concursu primæ (vt dictum est) ex quibus patet, & demostratiuè concludimus, primam causam de inferioribus curam habere, & in eorum generatione concurrere, & tanto fortius, quando aliquod generabile generari est necessarium: & cælum, & elementa ordinario posse, & proprijs viribus illud facere non potuissent: ex quibus pulcrum

colligatis, quòd iussit semel, prima causa, Terram in Carnem conuerti, & ex ea primum hominem generari, & non plus, quia necessarium non erat, potuerunt enim generari ex eo alij & sic facta est successiuè indiuiduorum multiplicatio: & in infinitum numerus eorum. Accedat ad corroborationem dictorum, elementorum situs, à peripatetico positus, quando sub cælo, ignem, sub igne aerem, sub quo aquam, sub aqua terram, esse posuit: sub aqua cælum, quod ingirum continuo super ea mouetur: & contigua corpora ea esse dixit: & tamen supra hanc terræ partem, aer, non autem aqua immediatè uidetur: quæ secundum Aristotelis situationem supra esse contingualiter deberet: nihilominus ad animantis commodum à natura factum esse testantur: viuentia non expirare, inspirare, ac transpirare, & inspirantia non viuere erit inpossibile: Galeno teste in sexto de locis affectis: quæ nam queso est hæc prouida natura, quæ animalium commodum,

& necem considerauit, ac præuisit? non secunda, quia sine consideratione & in doctè, ergo de prima intelligendum: hinc uerum est dictũ nostrum: uerum etiam est, quod vni secundum vnum operandi modum, alteri secundum alterum concessit, ipsa prima causa, quæ operatio, à prima causa concessa producitur secundis existentibus inoperante: discurrant increduli, & inuenient, ventriculo struthij velocius ferrum, quàm igni Aurum liquandi, hircino sanguini adamantem frangendi, lapidemq; in renibus conquassandi, concessum esse: & si quis ex herbis proprietatem hanc habentibus, ex quibus hircus nutritur fieri dixerit, quererem cur saxifragiæ, Anonidi, lapidi spongiæ, ac iudaico, similibùsque hoc concessum est, & non alijs lapidibus, animantibus, ac herbis: & si ex eorũ temperamento hoc facere opinãtur, quarè ipsis hoc temperamentum, & non alijs concessum est: & à quo talis spetialis concessio: certè & non ab alio, nisi ab eo, qui potestatem habebat

bebat

bebat, & poterat, & sic non ab alio, quam à prima causa: Quis Magneti in nauigantium bussulis existenti, ut aquilonem versus se voluat, tribuit? Vt nautarum testimonio nos certi sumus? quis docuit oues, gallinaceùmque genus, ut illa lupum, alterum miluium timeat? atque cumprimùm gallina miluij sibilum sentijt, illicò pauet: Quis mellifluis apibus mandauit, ut vnaquæque alueum sibi paret, & condat? & formicis ut æstiuo tempore æscam coadunent, ne algoribus hyemalibus regnantibus, fame pereant? & si à pluuijs madefieri euenerit frumentum sub sole foras extrahunt, Vt arefiat, & iterum in locum reproducant: quis araneæ animali concessit, ut muscam capiat, Vt nunc lento, nunc ueloci gradu deambulet, aliquando inmobilis manens, donec, et quosque suum attingat finem? & oues quomodo ex lupi præsentia timent pauent: ac quod ipsas lædere conatur: etiam si per prius sensatam lupi cognitionem non habuissent: nec ipsum uidissent?

dissent, quis Grues tantùm docuit, claro, et miro ordine uolare, & in nocte quiescentibus cæteris, alter ipsorum in pede saxum tenens, in excubijs manet, vt illæsi ab aucupantiũ dolis, Mane expergiscantur? inceptumque sequãtur iter? & alia huius generis infinita, quæ breuitatis causa derelinquo: nec dicere conuenit ex instinctu naturæ, qui eis sit innatus hoc fieri, nan quare huic, & non alteri? & quod dictas operationes notatu dignas producant: quas, inferior natura nescit, nec vt simili modo operẽtur facere potuisset: nõ à sensu agẽte ut quis dicere audẽt causam uidete apud Agustinum Suessanum in questione de sensu agente. sed ab aliquo esistẽte in operante mediante uirtute primæ causæ: Igitur à prudenti natura naturantèq;, & prima quæ omnipotens est causa ergo ferrei lapidis generationem, talis formæ, modo quo diximus, ac supra diffusè narrauimus fieri, esse tenendum firmamus: Reliquum est dicere in quo loco, genitus factusque fuit, quæ nam eius

materia

materia, quodnam particulare agens, quare tanti ponderis, quare non undique densus, & cur sereno existente cœlo decidit: quo ad locum, àerem esse firmamus, non in illa aeris regione nobis vicina, quia tantus calor non adest, et ob uentorum flantium copiam, uapores sicci, & exhalationes ille minerales, coadunari, liquari ac figurari non potuissent: non in media, quia calore priuata reperitur, & in tali generatione sufficiens non erit: heterogenea materia à calido incrassatur, similaris & homogenea, ut aqua, à frigore condensatur: igitur in ultima aeris regione igni uicina: in qua flatus non sunt, planetæ proprinquiores, concurrentibus quæ suprà Diximus coadunatæ, liquatæ à calore exhalationes illæ minerales à frigiditate mediæ regionis condensatæ illicò dictus figuratus ferreus lapis ortus fuit, statìmque decidit: loco particularis agentis, ignis, solisque calor, locus figuræ, aer quod suppeleret credendum est serenitas Aeris adfuit, quia nec Venti spiran-

tes

tes, nec nebulæ, nec & vapores erant; tùm etiam ut demostretur, qualiter ui uentorum sursum non fuit delatus ut realiter erat, & sic figuratus: Tanti ponderis? quia tanta exhalationum uaporùmque siccorum copia fuit; non undique densa? Defecit certè materia: Talis figuræ & cum illis processibus, quia sic opifici visum fuit: quare non sæpe? Cur tunc? & nō per prius? uel posterius? non sæpe, quia naturalis purus effectus non est, & non antea, quia intimiora secreta, & occulta rerum naturalium stant in alta sæde, & Maiestate, primæ independentìsque naturæ reposita: & sic tunc apparuit, quia tunc generata fuit;

Diximus portentum esse, monstrùmque rarissimè uisum: At quid futurum prædicat? & illud si boni, uel mali, sit; superest uidere secundum aliquos, qui in eius generatione martem concurrere tenent, bellorum contentiones prædicere poterimus: Mea tamen sententia futuri boni, quod iam peruentum est prædixit

Nobis

Nobis, Regnoq; huic Neapolitano: est etenim securitas, & quietitudo consequta accessu tuo Illustrissimæ & Excellentissimæ Princeps, qui unicuique iustè semper ministrastri, & ministrare non desinis, bonis Pacem, Reis condignam pœnam: & omnia, quæ in nostri operis initio apportauimus, & numerauimus, donando, fecisti: uerum quia negotium arduum est, & abissum scientiæ Dei, scire nobis concessum non est: quis Dei consiliarius? Nemo: propter nostra scelera, De futuro supplicio (quod absit) ualde timendum: hinc in rebus arduis, & difficilibus, ad Deum reccurrendum esse; ut etiam Galenus in primo morborum uulgariũ, De peste loquens inquit: sic nos dicimus, quod poterit etiam esse factum ad perterrendum, ut vnus quisque spẽ suam immensæ bonitati Dei erigat, nòsque met ipsos in suis sanctis seruitijs dirigamus; quoniam sic faciendo, ab alta sæde nos tutos ipse reddet, certàmque salutem nobis afferet, pro ut latius obtulit: suàmque diui

nam

nam maiestatem sic placari credendum, et indubitanter, sperandum erit: ipse siquidem ne tuas purgatissimas aures tedio afficiam, negotium hoc in longius amplius non protraho: uerum si quis trattationem hanc prolixe inspicere velit, & optat, consulat Ptholomeum in libro apotolesmaton, & albumazarem in libro magnarum coniunctionum. VALE.

Imprimatur.
Flaminius Torcell. Vic. Gen. Neap.

M. Philocalus Pharaldus Carmelita vidit.
Idem fol. 77.

Neapoli Apud Iosephum Cacchium.
M.L.D.XXXVIII.